

PAULINI CHELUCCI

A S. JOSEPHO

LUCENSIS

Cler. Reg. Scholarum Piarum & in Archigymnasio  
Romanæ Sapientiæ Publici Eloquentiæ  
Professoris

O R A T I O N E S

HABITÆ IN EODEM ARCHIGYMNASIO.

Accessit ejusdem Vita & index rerum

JO: ERHARDO KAPPPIO

A U C T O R E

EDITIO PRIMA VENETA

TOMUS ALTER.



VENETIIS

---

APUD SIMONEM OCCHI

*Superiorum Permissu, ac Privilegio.*

MDCCLXIV.

PAULINI CHELUGGI

A. JOSEPHO

LIBRARIUM  
SEMINARII  
SANTO DOMINGO

OPUSCULUM  
SCRIPTUM IN BOHEMIA

JOSEPHUS KAPPIO

EDITIO PRIMA VENETA  
MDCCLXXII

VENETIS  
ANDR. SIMONEN ODONI  
MDCCLXXII

*Sanctissimo Domino Nostro*

# BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

*Paulinus a S. Josepho Schol. Piar.*

**E**CCE ad pedes tuos, BEATISSIME PATER, alter orationum mearum libellus, qui ut publici juris fieret, tuoque nomini inscriberetur, non meum certe de ejus præstantia judicium, sed mirifica animi tui facilitas & humanitas fecit. Quoties enim illas, quæ altero tomo continentur, laudare, quæ incredibilis benignitas tua fuit, quoties de alteris his in lucem edendis mecum loqui, & quasi stimulos addere dignatus es? Neque id mirum, quod non eas modo disciplinas, quæ dignitatis tuæ majestatem decent, excolendas & amplificandas curas, sed etiam ad ceterarum artium literarumque studia provehenda cunctos omnium ordinum homines incitas atque inflammas; quemadmodum qui de variis studiis in omni hebdomada coram te fiunt Academici coetus, rem satis indicant. Itaque pudebat me jam differre tempus, atque has ultra

ea gloria fraudare, quam ab inscriptione nominis tui acciperent. Verum alia quoque me ad id permovebant. Silentio mittam perpetua singularis tuæ erga me benevolentia signa: ob quam tibi plurimum me debere fateor; eoque magis, quod nullis meis in te meritis, sed innata quadam penitusque tibi insita benefaciendi vi ac propensione id facis. Neque vero mihi mens est hoc loco maximas & amplissimas tuas commemorare virtutes, quæ passim omnium prædicatione celebrantur; non modo Romæ, sed apud exteras quoque nationes, atque eas gentes etiam, quæ præclara Romanorum Pontificum gesta limis oculis aspiciunt. Quis enim tam rudis, aut a nobis tam remotus est, ut non audiverit, aut legerit, quæ de reconditis & sanctioribus Catholicæ Ecclesiæ doctrinis abs te jam multa prodierunt, & adhuc prodeunt, volumina, quæ quidem te sanctissimum perinde ac doctissimum Pontificem ubique gentium prædicant? Quis ignorat, quæ ad Pontificium ærarium restituendum providentissime mandasti; quod ut magno & gravi ære alieno sublevares, quicquid in tuos conferre honestissime poteras, in illud comportari, ingentesque Vacabilium summas ad ipsius ærarii rationes pertinere voluisti? Quocirca te non minus in re Economica, quam in divinis & Ecclesiasticis disciplinis (quod valde rarum est) scientissimum esse vidimus. Nihil dicam de singulari illa animi constantia, qua jam tot annos te geris erga tuos tibi sanguine conjunctissimos, quos exemplo a multis ætatibus non audito, neque

que ad Urbem accedere passus es . Verum his omnibus , quæ olim posteri magnopere suspicient , ac de te vera cum gloria prædicabunt , prætermisissis ; ad illud venio , quod ad me propius pertinere videtur , quodque tibi sempiternæ laudifore minime dubito : ad hæc scilicet nostra Romanæ Sapientiæ studia , quibus instaurandis , & saniore consilio atque ordine dirigendis , nuper animum mentemque adjecisti . Hoc ego unum , ut vere dicam , triginta & amplius annos optaveram maxime : hoc erat mihi unice in votis , quo de persæpe fueram cum viris gravibus & doctis collocutus ; hoc denique illud ipsum , quod ego quasi divinans , te aliquando facturum esse prænucciavi [ \* ] . Videbatur enim mihi prorsus a dignitate Urbis alienum , Romanam Sapientiam neglectam jacere : & quæ tantopere præteritis temporibus ceteras Orbis academias studiorum celebritate ac doctorum fama superaverat , id temporis prope dicam deserui , atque omnibus esse despectui . Quid tum ? singulari Dei Opt. Max. consilio factum est , ut ad hanc bonarum artium sedem aliquando oculos tu converteres ; & quanquam infinitis pene negotiis impeditus , maxima tamen sollicitudine paternaque cura studiorum nostrorum patrocinium ac tutelam susciperes . Intelligebas enim probe satis non esse , si Princeps per se doctus sit maximeque literatus , nisi is faciat , ut ipsa quoque literarum studia , bonæ artes & disciplinæ apud suos vigeant . Idcirco tu & accitis aliquot novis

po.

politioris doctrinæ viris, & necessariis ad natura-  
 lem Philosophiam comparatis instrumentis, &  
 lectionibus præterea numero auctis, aliisque re-  
 cte ac sapienter provisus, illud jam effecisti, ut  
 tum novitate studiorum, tum discipulorum fre-  
 quentia Romana Sapiencia dudum in veterem  
 splendorem restituta esse videatur. Cum igitur  
 academiæ ipsius, quotquot sunt, professores gra-  
 tias tibi inde habeant maximas & immortales;  
 quod nimirum satis intelligunt, ex re literaria  
 tam provide sapienterque instituta, longe majus  
 sibi decus amplioremque bonis artibus dignitatem  
 esse accessuram; ego sane, qui si non doctrina  
 & bene dicendi arte, at certe diuturnitate do-  
 cendi, atque erga optimas disciplinas studio ne-  
 mini concedo, meum esse duxi BEATISSIME PA-  
 TER, communi omnium nomine testatum id fa-  
 cere, publiceque profiteri, singulos tibi esse, per-  
 petuoque fore hoc maximo & singulari beneficio  
 obstrictos: cum omnes præsertim sperent, se  
 gravioribus auctos laboribus, auctum quoque a  
 te iri uberioris beneficentiæ tuæ fructibus; unde  
 sibi major copia sit & honeste vivendi, & lu-  
 cubrationes eruditas, ingeniique sui monumenta  
 typis evulgandi ratio, quemadmodum majores no-  
 stri sæpe & magna cum laude fecerunt; atque  
 inde universo pateat Orbi, BENEDICTO XIV.  
 Pontifice, *Romanam Sapienciam, neque Bono-  
 niensi, neque Paravino Gymnasio, vel docto-  
 rum præstantia, vel auditorum concursu con-  
 cedere, id quod Leonis X. tempore contigit,*  
 ut Paulus Iovius testatur.

VII  
JOANNES DIDACUS

A MATRE DEI

*Cler. Regul. Pauperum Matris Dei  
Scholarum Piarum*

VICARIUS GENERALIS.

CUM Tomum alterum Orationum, quas in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ habuit P. Paulinus a S. Josepho Cler. Reg. Scholarum Piarum, Assistens noster Generalis, & in eodem Archigymnasio Eloquentiæ professor, duo ex Nostri, quibus commissum fuit, recognoverint, atque approbaverint: ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Ædibus nostris Scholarum Piarum S. Pantaleonis die 30. Septembris 1747.

*Joannes Didacus a Matre Dei Vicarius  
Generalis.*

Loco ✱ Sigilli.

*Jo: Vincentius a S. Jacobo Secret.*

*Reg. fol. 252.*

I N.

## I N D E X

## O R A T I O N U M .

## T O M I S E C U N D I .

- I. *De literis & eloquentia cum ceteris disciplinis conjungendis.* pag. 1.
- II. *De M. Tullio Cicerone imitando.* 17
- III. *De studio poetarum ad literas & eloquentiam necessario.* 35
- IV. *De præmatura ingenii sui opinione.* 49
- V. *In sciolos I.* 60
- VI. *In sciolos II.* 72
- VII. *De laudibus Leonis X. in anniversariis ejus parentalibus.* 87
- VIII. *De optimis artibus nobili juventuti necessariis.* 97
- IX. *De probitate viro literato necessaria.* 115
- X. *De vi & potestate literarum.* 135
- XI. *De laudibus Leonis X. in anniversariis ejus parentalibus.* 148
- XII. *De felicitate viri literati.* 162



1

DE LITERIS ET ELOQUENTIA  
CUM CETERIS DISCIPLINIS  
CONJUNGENDIS.

ORATIO I.

*Habita VII. Idus Novembr. MDCCXXX.*

**L**ætandum mihi magnopere, Adolescentes  
optimi, maximeque vobis gratulandum in-  
telligo, quod multa frequentia tantoque concur-  
su & alacritate ad literarum & eloquentiæ studia  
in hoc Romanum Gymnasium vos hodierno die  
convenisse video. Quid enim mihi optabilius,  
quid jucundius contingere potest, quam præcla-  
ra hac indole præstantique ingenio juvenum co-  
rona me septum intueri, quorum ad optima stu-  
dia complectenda magna sit voluntas animorum-  
que consensus? Quid autem vobis utilius, ac ve-  
stræ dignitati magis accomodatum, quam cum  
gravioribus disciplinis, in quas plerique in hoc  
ipso Gymnasio incumbitis, elegantiores quoque  
literas & eloquentiam conjungere, quæ quidem  
illis vitam & spiritum conferunt? Fortunati pla-  
ne, quod vobis minus arriserit perniciosissima  
eorum sententia, qui putant, nostra hæc studia  
minime necessaria esse, ut quis in Philosophia,  
in Jure civili, in Medicina, ceterisque gravissi-  
mis disciplinis excellat. Quam quidem stultissi-  
mam opinionem, etsi satis exemplo vestro con-

*Paulini a S. Josepho*

futuri video, tamen quo studiorum vestrorum rationem reddere, & imperitis ejusmodi hominibus, si quando opus sit, os obstruere, eorumque audaciam reprimere valeatis, ita prorsus inanem ac repudiandam a vobis esse ostendam, ut quam isti turpiter decipiantur, clare penitusque percipiatis. Atque hinc profecto fiet, ut vobis currentibus calcaria, ut ajunt, addantur. Qui vero de hujusmodi studiorum necessitate dubitant, quanquam utilia ac jucunda illa esse intelligant, ii perpensis rationum momentis, animo confirmantur, sibi tandem persuadeant, liberalium omnium disciplinarum splendorem & decus, si linguæ ornamenta negligantur, evanescere. Ad hanc autem ipsam literarum & doctrinæ societatem, quam viro docto summe necessariam esse contendimus, non id laboris & vigiliarum, quod imbecillo quidam animo sibi fingunt, requiri intelligetis. At siquidem viam facilem & expeditam, quam in suprema orationis parte indicabo, persequi volueritis, studia hæc vobis plana & jucunda fore polliceor.

Et quidem primum Deo Opt. Max. gratias immortales ago, semperque agam, quod Romæ, in Urbe scilicet omnium nobilissima, splendoris & elegantiaæ domicilio, non in oppido, aut in rusticano aliquo pago, hodie verba facturus sim, ubi homines agrestes, & inculti me necessario aliqua de decore ac dignitate, quæ rei maxime convenit, dicentem haud facile cogitatione comprehenderent. Sed mente recreor, quod mihi res est cum adolescentibus ornatissimis, splendide ac

liberaliter educatis, qui pene cum ipso nutricis lacte munditiam suxerunt ac decus, quique non minus ore ac vultu, quam veste, capillis, ceteroque corporis habitu ornatum & elegantiam præ se ferunt. Vos itaque, Adolescentes optimi, non tantum testes in hac causa, sed iudices quoque, & causæ patronos adesse volo. Etenim rogo vos per vestram fidem, ingenuumque ætatis vestræ pudorem, quid est, quod singulari studio tantoque opere ceteris in rebus munditia, nitor, & elegantia requirantur, in oratione autem ornatus tanquam minime necessarius rejiciatur? Si tecta construantur, sedulo curant artifices, ut prospectus ædium, vestibulum, porticus, peristylum, impluvium, ac cetera sint hujusmodi, ut ab elegantia & dignitate minime abhorreant. Si navis ædificetur, quanta cura adhiberi solet, ut latera, carina, puppis, antennæ, ac reliqua ita fabricentur, ut non solum possint ventis ac procellis resistere, sed etiam decus habeant ac nitorem? Si denique vestis, si arma, si tela comparanda sint, satis non est, ut ea valeant omnem a corporibus nostris propulsare vim, nisi quoque nitida ac decora appareant. In ceteris igitur rebus non utilitas sola, sed etiam dignitas & elegantia vobis cordi est, in oratione autem id, quod proprium & decorum est, contemnendum negligendumque esse putabitis? Non ita sane. Quemadmodum enim rusticanus infimæ plebis sermo nobiles viros summo-pere dedecet, ita sapientum dignitatem maxime deprimit atque deformat oratio rudis, vulgaris

& impolita. Quæ quanto clarissimis disciplinis dedecori sit, quantoque viros doctos incommodo afficiat, ex iis, quæ dicturi sumus, fatis aperte videbitis.

Complures quidem, non e grege imperitorum, sed sapientes mirantur, quamobrem per hos dies non eadem sint, quæ quondam, proposita bonis artibus præmia; nec opibus, ut olim, augeantur præclara ingenia, nec honoribus, nec dignitate, nec gloria viri docti, ut superiore memoria, cohonestentur. Dolent abiisse faustissima tempora, in quibus homines excellenti ingenio, ac singulari doctrina ornatos certatim principes viri apud se retinebant, quos plurimi facere, & tanquam oracula consulere solerent. Dolent memoria nostra doctrinæ studia plerisque viliora esse, ac despecta jacere. Utinam hæc ita falsa essent, Auditores, ut a nobis omnino, aut aliqua ex parte negari possent. Sed unde ejusmodi doctrinæ contemptus? Unde tantum erga honestissimas disciplinas fastidium? Equidem video pluris hodie fieri a nobiles viris peregrinum aliquem augendi luxus artificem, novarumque deliciarum inventorem, quam hominem doctrina & eruditione præstantem. Non sum nescius, potentissimos reges hoc tempore bellorum magis, quam literarum studio teneri, & omnem fere literariæ reipublicæ curam abjecisse. Verum aut ego fallor, aut non hinc potissimum petenda est doctrinæ despectio. Ex iis nimirum, qui in studiis modo versantur, in doctrinas hoc malum maxime invasit. Negligunt hodie plerique  
omne

omne sermonis decus, dicendique nitorem, quo optimæ disciplinæ olim tantopere exornari solebant; unde fit, ut illæ fordidæ ac squalidæ appareant, neque venustate & gratia in sui amorem & existimationem alliciant. Est suus scilicet non modo matronis, sed etiam ingenuis disciplinis cultus & decor, quem si illis detrahas, si illuvie ac situ deformentur, tantum abest, ut quemquam ad se illiciant, sui que amore capiant, ut potius nauseam ingentem ac stomachum moveant. Fuit, fuit olim alia, cum barbaries & incitia dominarentur, bonarum artium æstimandarum ratio ac pretium. Suspexit magnus ille rex Macedonum Alexander Chærii poetæ versus magnoque auri pondere locupletandum putavit hominem, quem Horatius Flaccus risu magis, quam præmiis dignum fuisse arbitratus est. Longe alia nunc est temporum nostrorum ratio. Excellat oportet usquequaque, & sit numeris omnibus absolutum id, quod delicato hujus seculi judicio comprobetur. Profecto satis non est per hos dies solidum aliquod, & succi plenum cibi genus mensis apponere, nisi illud & exquisite conditum, & splendidis auro argentoque patinis inferatur. Ita sane ætati huic nostræ minime sapiunt volumina, quæ plurima quidem doctrina referta sint, sed impolito incultoque stylo confecta, patinis veluti ligneis, aut fictilibus afferuntur. Hoc autem tam limatum & politum judicandi genus si unquam memoria nostra in hac Urbe vixit, in posterum certe vigebit quam maxime: cum nuper singulari Dei providentia ad summum Pontifi-

tificatum fuerit euectus Clemens XII. patria Florentinus e nobilissima Corfinorum gente, vir cum omnis doctrinæ, tum literarum elegantiorum amantissimus, qui in omni fortunæ gradu viris doctrina præstantibus domum suam, tanquam publicum bonarum literarum & eloquentiæ domicilium, patere voluit; ut proinde non immerito speremus erga homines doctos, & hoc præcipue Romanum Gymnasium eum talem fore, quales ejus cives Leo X., Clemens VIII., & Urbanus VIII. fuere Pontifices beneficentissimi ac sempiterna memoria digni. Verum ut eo redeam, unde paululum discessit oratio, non est igitur, cur miremur, quod bonis literis a doctrina sejunctis, humiliore loco disciplinæ omnes positæ sint, & ab antiquo gloriæ splendore usque adeo desciverint.

Veteres quidem sive Græci, sive Latini non rerum tantum, sed rerum simul & verborum rationem habuerunt. Non Philosophiam, non Jus civile, non Medicinam duntaxat didicerunt, sed verborum etiam, quo de illis loquerentur, quoque illas graviter & ornate explicarent, splendori summopere studuerunt: quorum scripta cum admirabilem habent dignitatem, tum vero oratio ea est sententiarum gravitate ornata, atque iis verborum luminibus illustrata, ut nihil possit ab homine vel dici sublimius, vel divinius excogitari. Nam ut a Græcis, primis illis locupletissimis doctrinarum parentibus, exordiar, quid causæ fuit, quod sapientissimus ille Plato, qui a Panætio philosophorum Homerus appellari solebat, quo cum

Cicero se malle errare, quam cum ceteris vera sentire professus est, ille, inquam, literatorum omnium princeps, ad maximum ingenium, quo a natura fuerat abunde donatus, sic quoque eloquentiæ studium adjunxerit, ut omnes tum rerum scriptores, tum oratores & copia, & gravitate verborum superaverit; ac minime contentus ea gloria, quam sibi & intelligendi vi, & dicendi præstantia comparaverat, commentariis etiam elegantissimis edicis dicendi doctrinam pertractaverit? Quid Aristoteles, alterum sapientiæ lumen, cujus tanta fuit eloquentia, ut a M. Tullio aureum flumen fundere dictus sit, nonne dicendi artem summo studio auditores suos docuit, eisque magis Rhetorum copiam, quam Philosophorum tenuitatem in differendo proposuit, quod intelligeret, doctrinam quidem per se ipsam prodesse, sed si ad doctrinam eloquentia accedat, præclarum quiddam ac singulare existere? Nihil de Teophrasto, nihil de Zenophonte, nihil de Lysia, nihil de innumeris aliis præstantissimis Græciæ viris dicam, quos ob incredibilem eloquentiam dicendique leporem non minus, quam ob sublimium ac divinarum rerum præstantiam tantopere suscipimus & admiramur. Quid vero de latinis loquar? Profecto satis est nobis unum pro cunctis summum doctrinæ & eloquentiæ exemplum M. Tullius; qui primus e Græcia in Latium cum Philosophiam advocasset, quam polite, quam diserte, quam eleganter eam explicavit, viamque ceteris aperuit, scientiam illam scite ornateque illustrandi? Sunt vobis ante oculos

ejus libri de finibus bonorum & malorum, sunt volumina Tusculanarum quæstionum, sunt de divinatione, de fato, de legibus, tum etiam de amicitia, de senectute ac de omni officiorum genere tribus libris mirifice comprehensa, quæ singula satis per se loquuntur. Neque vero unus fuit ex omni memoria inter Latinos M. Cicero, qui Philosophiam, Jus civile, & omnem rerum scientiam dicendi elegantia exornaverit. Quid enim L. Crassus, Q. Scævola, Ser. Sulpicius, L. Lucilius Balbus, C. Aquilius, aliique complures, qui cum summa juris notitia bonas literas & eloquentiam copulantes, non solum jurisperiti, verum etiam disertis esse, & haberi voluerunt? Cujus rei fidem faciunt paucissima illa aurea quæ nobis de eorum scriptis supersunt fragmenta. Certe si vera sunt, quæ historiarum monumenta referunt, M. Porcius Cato Censorius, qui non solum optimus civis, optimus senator, optimusque imperator, sed etiam magnus jurisconsultus & orator fuit, eloquentiam sic adamasse dicitur, ut mira fuerit ejus in dicendo gravitas atque majestas; & præter complures, quos de Jure civili libros conscripsit, orationes etiam amplius centum quinquaginta elucubratus est. O singularem majorum nostrorum diligentiam! O admirandum literarum & eloquentiæ studium! Quod si ad medicos me convertam, statim occurrunt doctissimi medicorum principes Hippocrates, & Galenus, qui medendi artem eloquentia præcipue propugnasse videntur. Nam præter purissimum elegantissimumque dicendi genus, quo utuntur in iis, quæ



quæ ad rem medicam explicandam pertinent, in aliis quoque disciplinis exornandis, quæ ad optimi cujusque medici præstantiam requiruntur, talem adhibent splendorem verborum ac sententiarum gravitatem, ut eloquentissimorum nemini cedere videantur. Et quidem Galenus non solum de animorum nostrorum motibus, in quibus concitandis maxima oratoris posita vis est, præcepta pulcherrima docuit, verum etiam integrum de arte Rhetorica opus conscripsit: usque adeo vir sapientissimus eloquentiam ad artem medicam necessariam esse putabat. Missum facio e nostris, ne dicendo longior sim, Cor. Celsum, cujus de medendi facultate commentaria tam nitide venusteque scripta sunt, ut nihil pulchrius. Quis autem sibi persuadeat, viros tales ac summopere occupatos ita ingenio ac tempore fuisse abusuros, si purum ejusmodi & ornatum dicendi genus ad graviores, quas ipsi profitebantur disciplinas, otiosum prorsus atque inutile judicassent? Non ita sanæ mentis, aut consilii inopes fuerunt, ut quid in unaquaque disciplina utile foret, aut inutile, satis superque non intelligerent.

Sed mutata est, inquit, jam pridem studiorum ratio. Fuit quidem apud veteres non minor verborum, quam rerum cura. Nos autem scientia rerum contenti sumus, cum nemo in utroque & doctrinæ & scribendi studio excellere unquam possit. Hæc est, Auditores, imperitorum hominum vetus & inanis cantilena: quæ fortasse nobis aliquantum negotii faceret, nisi præsto essent tot clarissimorum virorum volumina, qui  
su-

superiore ætate cum rerum scientia, tum dicendi facultate præstiterunt : quorum sane & numerus & auctoritas tanta est, ut ignavorum istorum perfugia obstruere facile possit. Nam renascentibus in Italia duo fere ad hinc secula literarum studiis, prima sapientum cura fuit, orationem barbarorum maculis expurgare, eamque veteri splendori restituere. Intelligebant enim viri prudentes, fieri non posse, ut liberales disciplinæ squalidam, diutinaque macie decoloratam faciem in vividam splendidioremque commutarent, nisi succo & sanguine bonarum literarum alerentur. Evolvite quidem temporum eorundem annales, perlegite ejus ætatis monumenta : nullo negotio percipietis, quo eorum industria & conatus eyaserit. Nam tot statim magni nominis philosophi, tot præclari juris consulti, tot celeberrimi theologi extiterunt, ut brevi temporis intervallo omne doctrinæ genus & castitate sermonis; & eloquentiæ luminibus illustratum pristinas opes recuperarit. Quid ergo sibi blandiuntur isti inaviæ patroni, quid doctrinæ studia cum bonis literis & eloquentia conjungere, rem perarduam & herculeo fere labore dignam clamitant? Majores nostri potuerunt latinæ & eloquentiæ studia tot annos jam intermortua, ingenti labore summoque conatu quasi ab inferis revocare, potuerunt emendate politèque, scribere : haud potuerunt homines nostri delicatuli ea nunc assequi, ubi jam in tot gymnasiis & academiis exposita publice patent? At rerum scientia contenti sunt, verba negligunt. O excusationem ignorantæ minime ferendam ! Fa-

teantur potius sese rerum scientiam perinde ac verba negligere . Nam ponamus quempiam doctrina multiplici instructum , sed naturali sermonis copia carere , vocabula inter loquendum querere , & quasi verba enumeret , in singulis periodis hæsitare ; vel certe si quam habuit a natura loquendi facultatem , nullum tamen habere usum recte & accurate dicendi , nullam troporum , nullam figurarum , nullam boni ordinis notitiam illi præsto esse , adeo ut si non ætate , at in dicendo infans esse videatur : peto nunc a vobis , Auditores , quid ager , quo se vertet cum isto suo doctrinæ thesauro homo miserrimus ? An poterit scientiam , quam sibi tanto labore tantisque impensis comparavit , communicare cum aliis , si deest verborum proprietas , & explicandi facultas ? Audebitne cogitata sua coram viris doctis & eruditis palam facere , si sine magna sui difficultate , vel eorum qui audiunt molestia , loqui nesciat ? O frustra susceptos labores . O inanes tot vigiliarum , quos expectabat , amplissimos fructus . Delitescat nimirum necesse est ob sermonis inopiam tacitus & obscurus , qui intelligendi acumine & eruditionis præstantia inter viros doctissimos eminere potuisset . Fruetur quidem , non inficior , sua secum doctrina , succo suæ contemperationis sibi vivens ; sed præoccupata ab aliis doctrinæ præmia non sine animi dolore conspiciet . Quod si homines inter cetera ob eam causam gravissimis studiis vacant , ut reipublicæ bono consulant , aut saltem patriæ utilitati prospicere valeant , quid tandem ab iis sperandum , qui  
aut

aut barbare loqui, aut elingues ac muti omnino esse debent? Habeat quis sane optimas & sapientissimas de republica cogitationes: comprehendat probe ea, quæ Plato & Aristoteles cum de domestica, tum de publica felicitate præcepta tradiderunt: cognitum illi sit quicquid de jure belli & pacis Hugo Grotius conscripsit; egregie demum noverit vel sacros annales, vel decreta Conciliorum Pontificumque responsa: quid tandem illi proderunt tot tantæque doctrinæ opes, si de illis ipsis haud sciat graviter ornatèque dicere? Scire tuum nihil est, ait ille, nisi te scire sciat alter. Profecto nisi ad doctrinam accesserit sermo, quem bonum mentis interpretem Philo ille Plonicus appellabat, quid te præter truncum, aut stipitem, aut hominis umbram homines judicabunt? Proinde Lucretius paucissimis illis verbis, hoc est sapere & dictis rationem reddere, sapientis viri summam comprehendebat.

At vero dicet quispiam, quid tu nobis fingis ejusmodi homines elingues & mutos, quos loquacissimos omnium esse constat? Ita sane. Quamquam enim multi sunt, quos antea dicebam, qui ob ingenuum pudorem tacere, quam publice balbutire malunt; plures tamen profecto invenias, qui plus loquacitatis & audaciæ, quam pudoris habent, qui nec impure scribere, nec latine nescire turpe putant, se vero doctos & sapientiæ promos condos venditant. Age vero, scribant aliquid, aut loquantur docti isti blaterones, ut eos nimirum solenni more Socratis intus & in cute videamus. O quot quantasque mihi

mihi videor videre doctrinarum copias. O quam magna & ampla eruditionis supellex comparatur. Res sacra agitur, proinde quicquid habent Biblia, Concilia, Interpretes, quicquid Græci ac Latini Patres conscripserunt, in unum congeritur, ut non tam oratio, quam Polyantha componi videatur. Quid tum? præter innumera fere argumenta, quæ singulæ disciplinæ, suam veluti symbolam, conferunt, opus adhuc macrum & exile videtur, nisi addantur & historiarum flosculi & apologi & poetarum carmina. Satis jam satis, imo plus quam opus sit ad fatietatem. Sed quod dolendum magis est, omnia sic confusa, sic perturbata nulloque ordine digesta inferuntur, ut quale sibi poetæ finxerunt chaos, tale opus istiusmodi esse videatur. Nihil loquor dictionem barbaram & lutulentam, nihil nova & inaudita verborum portenta, nihil infelicem sermonis siccitatem & inconcinnam elocutionem, quam sine fastidio audire nemo possit. Hinc tantum abest, ut qui adsunt, aut qui eorum scripta legunt, doctrinam in ipsis suspiciant & magni putent, ut potius de eorum ingenio pessime judicent, & homines ejusmodi memoria quidem multa, judicio autem minimo pollentes existiment. En fructus studiorum uberrimi. En fructuosa magnarum rerum scientia. En viri docti nomen tot studiis tantisque impensis quæsitum. Temeritatis suæ poenas jure ac merito luunt homines imperiti, quod nobilissimas disciplinas impuro sermone foedarint. Poeniteat illos aliquando elegantiores literas contempnissse, quæ magnum eorum doctrinæ splendorem

con-

contulissent & ornamentum . Fateantur sese tot annos in gravioribus studiis frustra contrivisse , humanioribus literis & eloquentia , unde illa nervos & vires accipiunt , temere atque imprudenter neglectis .

Sed barbaris istis literarum oppugnatoribus summo cum probro & dedecore rejectis , vos jam , Adolescentes optimi , compellat oratio mea . Jam vos probe intelligitis , quam necessaria sint , ad tuendam liberalium artium dignitatem , literarum & eloquentiæ studia : quæ quidem majores nostri in omni fere ætate ita cum doctrinæ studiis conjuncta esse voluerunt , ut nisi qui eloquens idemque dicendi peritus esset , nemo sapiens putaretur . Nam rudis & inculta , imo sine voce ac spiritu sapientia est , si quidem sapientia dici possit , cui deest sermonis gratia , dicendique venustas . Proinde mente ac judicio destitutus omnino sit oportet , qui sine adjumento literarum & eloquentiæ præsidio sperat aliquem gravissimarum disciplinarum se fructum capere , aut hominem sapientem videri . Hæc autem omnia summatim a me dicta fuerunt , non tam ornandæ amplificandæque eloquentiæ causa , cuius dignitatem sustinere debeo , quam quo maxime utilitati vestræ servirem , animosque vestros contra literarum & eloquentiæ vituperatores confirmarem . Restat igitur illud unum , quod mihi ad extremam reservavi orationem , ut scilicet vobis quod facile sit , maximeque expeditum ad eloquentiam iter , quam brevissime ostendam . Nolite putare , me proponere vobis velle Hermogenis ,  
aut

aut Demetrii, aut Longini præcepta, vel Oratorias Quintiliani, aut junioris cuiuspiam Rhetoricas institutiones, quas hoc tempore usus & consuetudo in scholas invexit. Nolo vos præceptis ejusmodi obruere, quæ quanquam minime reprehendo, tamen ea per se ad hominem eloquentem efformandum haud multum valere arbitror. Utar sane viæ brevioris compendio. Quem admodum enim qui pingendi artem tradunt, tabulam aliquam affabre pictam ante oculos ponunt, ut frõntem, supercilia, os & ceterorum membrorum conformationem tyrones coloribus exprimere, & quoad fieri potest, singula lineamenta corporis imitari studeant; ita quoque vobis ego hodierno die clarissimum, & ex omni parte absolutum eloquentiæ proponam exemplum, in quo quicquid splendoris, quicquid dignitatis & gloriæ dicendi arte continetur, uno veluti aspectu intueri, & contemplari possitis. Is est M. Tullius Cicero, Juvenes ornatissimi; qui naturæ providentiæ natus esse dicitur, ut in illo omnes vires suas eloquentia experiretur, qui magisne eloquentiæ, an illi ipsi eloquentia debeat, haud quisquam facile judicaverit: de quo hoc unum affirmari potest, eum in hoc genere sic eminere, ut ipsius nomen pro oratore, & ejusdem in dicendo facultas pro eloquentia apud posteriores recepta sit. Nam cum se totum, ut Quintilianus ait, ad imitationem Græcorum contulisset, effinxit in se uno vim Demosthenis, copiam Platonis & Isocratis suavitatem. Quibus non contentus, Latinos quoque omnes accurate per-

perlegit, tropos notavit, figuras observavit, & in unoquoque oratore si quod esset artificium, deprehendit, ut nimirum in se uno posteri haberent quicquid uspiam in dicendi facultate existeret pulcherrimum & admirandum. Hunc ego, Adolescentes optimi, eloquentiæ ducem, hunc egregium & immortalem dicendi magistrum hodie vobis imitandum propono, in quem omnia vestra studia, curas, cogitationesque conferatis. Quemadmodum autem non unus oculorum coniectus in imaginem ab Apelle, aut a Parrhasio depictam, non unus penicilli ductus in tabula, neque adumbrata unius oris lineamenta, pictorem repente faciunt; ita quoque nec unius Tullianæ orationis lectio, neque una data eloquentissimo viro exprimendo semihora eloquentiæ cupidum statim efficiunt eloquentem: sed meditatio sedula, exercitatio frequens, & usus quotidianus ad eloquentiæ fastigium Ciceronis imitorem extollunt. Hunc igitur oratorum eloquentissimum, quem nonnulli eloquentiæ Deum appellare minime dubitarunt, si me amatis, nunquam ex oculis, nunquam ex manibus, aut sinu deponite. Hunc spectemus, Quintiliani voce & cohortatione utar, hoc propositum sit nobis exemplum; atque ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.



DE M. TULLIO CICERONE

I M I T A N D O

## ORATIO II.

*Habita VI. Idus Novembris anno MDCCXXXI.*

CUM superiore anno ex hoc amplissimo loco studiosis eloquentiæ Adolescentibus, qui ad hoc Romanum Gymnasium multa frequentia convenerant, facile & expeditum ad bonas literas & eloquentiam iter fore prænucciassem, si M. Tullium Ciceronem diligenti ratione studioque sibi imitandum proponerent; fuerunt quidam, quantum ego intellexi, quibus oratio mea probari omnino non potuit: quod cum semper ardua & gravis, magnisque ingeniorum disceptationibus digna quæstio visa fuerit, an videlicet unus Cicero, an alii quoque boni & præclari auctores imitandi essent, ego statim quasi e tripode rem definire, nec partibus auditis sententiam ferre ausus sim, uno duntaxat ad imitandum Cicerone proposito: quocirca me temere & arroganter fecisse arguebant, quod tam multos Latinos scriptores, & quidem omnium iudicio elegantissimos, parvi fecerim, & M. Tullium, cujus elocutio multorum opinione verbosa, & stylus Asiaticus, ceteris ad imitationem prætulerim. Equidem poteram causæ bonitate confisus, obtreccationes hujusmodi negligere: cum præsertim nemo eorum, quorum dignitatem

revereri, auctoritatisque parere debeo, orationem meam interpellaverit. Verum cum animadvertentem præclaram illam controversiam de uno, aut de pluribus imitandis inter doctissimos viros fuisse sæpe in judicium magna animorum contentione vocatam, nunquam tamen satis explicatam, nunquam definitam; subiit animum causam ipsam quasi comperendinatam recognoscere, non tam ut judicium meum interponam, quam ut cupidi eloquentiæ adolescentes, quos in hac studiorum instauratione frequentes adesse video, cognitum habeant, quid de illa viri graves & docti senserint, quibusque de causis nos proximo anno unum Ciceronem præ ceteris imitandum esse statuerimus. Adeste igitur animis, Adolescentes optimi, quos si unquam alias, attentos vos hodierno die maxime cupio. Agitur enim modo non de oratore, aut de historico, aut de poeta aliquo, ut fieri solet, interpretando, sed de M. Tullio oratore omnium eloquentissimo vobis in eloquentiæ imperatorem & ducem constituendo. Agitur de præstantissimo dicendi magistro, in cuius imitatione castissimæ latinæ, & germanæ eloquentiæ fundamenta nituntur. Agitur demum de expedita ac perfacili via, qua optatos & uberrimos ipsius eloquentiæ fructus percipere possitis.

Non defuerunt quidem superiore memoria magni nominis viri, qui sive veterum gloriam se consequi posse diffident, sive ingenio suo plus nimio tribuerent, omnem in literis imitandi rationem de medio sustulerunt. Sed hos strenue

refellit apud Ciceronem clarissimus orator M. Antonius: qui de oratore recte instituendo disputaturus, totius veluti ædificii basim imitationem posuit, & tanquam id quod esset primo cogitandum præcepit. Ergo hoc sit primum, inquit, in præceptis meis, ut demonstremus, quem imitemur. Hæc eadem Quintilianus vestigia persequens, ad oratoris styllum efformandum & elocutionem comparandam, multa satis accurate de imitatione conscripsit, Ubi plurimis & eloquentissimis enumeratis auctoribus, ex quorum lectione tum verborum copia, tum varietas figurarum & componendi ratio ab oratore peti debent, illud clare deducit, eloquentiam magna ex parte imitatione contineri. In eadem quoque sententia fuere postea Paulus Cortesius, P. Bembus, Picus Mirandulanus, Bartholomæus Riccius, alique viri plurimi ingenio & eloquentia clarissimi, quorum extant docti & eruditi de imitatione libelli. Et sane cum omnia, quæ ad rationem artis pertinent, imitatione cum fieri, tum perfici videamus, an una ars bene dicendi, quæ omnium difficillima atque pulcherrima, imitationem repudiabit? Cum igitur nullus sit dubitandi locus, quin in eloquentiæ studiis nos ad aliorum exemplum conformari oporteat, illud quærendum superest, multine sint, an unus M. Tullius ad imitandum, neglectis ceteris omnibus, seligendus.

Atque hic statim mihi videor audire non tam voces, quam clamores & vociferationem eorum, qui rem indignam & injuriæ plenam esse clamitant, in literarum studiis unum omnibus præferri

Ciceronem, & tot alios graves & magnos literarum parentes, Plautum, Terentium, Cæsarem, Sallustium, Livium. aliosque ingenio præstantes & immortalis gloria dignos, tanquam abortus, aut nothos reiici atque contemni. Hoc autem Ciceronis ipsius exemplo confutari quis non videt? Cum ille non unum, sed eloquentissimum quemque tum Græcorum, tum Latinorum imitandum suscepit, & hoc pacto in se uno effingere potuerit vim Demosthenis, Platonis copiam, & Isocratis jucunditatem. Anne in unum M. Tullium ingenii opes natura effudit universas, adeo ut nihil pulchre, nihil venuste cogitatum, aut ingeniose dictum in tot aliis præclaris scriptoribus inveniat, quod dignum sit, ut nos imitemur? Atqui illud, Cicerone ipso fatente, certum est, in natura nihil ex omni parte perfectum atque beatum existere: perinde ac illa ceteris, quod largiatur, non sit habitura, si uni omnia largiretur. Ex quo fortasse contigit, ut neque Demosthenes ipse Ciceroni per omnia satisfaceret, sed aliquando sibi ille dormire videretur. Quod nimirum, cum ad eum exprimendum se penitus totamente & cogitatione contulisset, non omnia tamen loquendi ornamenta dicendique lepores in eo reperiebat. Et tu nobis in uno Cicerone cuncta existere, ac nihil omnino deesse persuadebis? Imo tantum abest, ut omnis in eo efflorescat dicendi virtus, ut potius multa præclari ejus ætatis oratores in eodem deprehenderint vitia. Nam dialogi auctor affirmat, Ciceronem dum adhuc viveret, a Licinio Calvo reprehensum fuisse tanquam

quam solutum & enervem, a M. Bruto ut fractum & elumbem, ab aliis ut tumidum, inflatum, redundantem, atque Asianum. Præterea A. Gellius testatur, Gallum Asinium scribere non dubitasse, Ciceronem parum integre, improprie, atque inconsiderate esse locutum; & Largium Licinium de illo tam male sensitse, ut in ipsum quoque ediderit librum convicii plenum, cui titulus Ciceromastix.

Audistis, Adolescentes optimi, quæ improbo ore in M. Tullium evomunt maledicta, qui vos ab ejus imitatione conantur abducere? At vero nisi hæc falsa, & contra eloquentissimum virum ab ejus inimicis temere efficta deprehenderitis, me hominem impudentem & mendacem arguite. Nam qui tandem sunt tam acerbæ criminationis auctores? ii scilicet, quorum partim Ciceronem oderant, partim ejus gloriæ invidebant, partim denique obtrectandi studio ad eum vituperandum incitabantur. Nam cum eo tempore nonnulli Romæ oratores essent, qui sicco, arido & exangui dicendi genere utebantur, quod se Atticorum more dicere videri vellent, quorum oratio pressa erat, ac subtilis; copiosam & fluentem M. Tullii eloquentiam æquo animo ferre non poterant, atque ipsum tanquam fractum & elumbem, otiosum & inanem, unoque verbo Asianum appellabant. Ex hac schola prodiit Licinius Calvus, qui, ut M. Seneca testatur, iniquissimam diu litem cum Cicerone de principatu eloquentiæ habuit, cujus tamen dicendi rationem non modo Cicero ipse ut

jejunam & attritam sæpe reprehendit, sed ne Seneca quidem, aut quisquam alius probavit unquam. Quid ergo mirum si Calvus idem Ciceroni quoquo modo potuit, par pari referre, atque ipsum tanquam dissolutum & enervem criminari voluerit? Quæ judicii æquitas expectari ab eo poterat, cujus animus odio atque invidia flagrabat? De Bruto autem, qui & vir probus, & Ciceronis amicissimus semper fuit, cujus nomine librum de claris oratoribus Cicero ipse inscripsit, certe quidem aliter judicare debemus. Etenim non odio, sed amori potius, & singulari erga eundem benevolentia tribui debet, quod ipsum de stylo quasi fracto & elumbi, ut sibi videbatur, non invidiose, sed amice moneret. Erat enim magna inter utrumque diversitas styli ac dissimilitudo. Erat M. Brutus, ut a Cæsare vocabatur, disertus potius, quam eloquens: contra vero Cicero fluminis instar profluens, fusus & copiosus, ita ut ab eodem Cæsare tanquam princeps & inventor copiarum laudaretur. Itaque Bruto, qui ficcus erat, & plus in dicendo habebat diligentia, quam naturæ, ubertas & copia Tullianæ dictionis omnino probari non poterat. Verum & Calvi & Bruti, & omnem illam Atticorum Romanorum nationem jejunitatis & inopiæ peramantem quis acriore judicio ac vi, præter Ciceronem ipsum, confutare possit? Ille profecto ad eloquentiam non tam factus, quam natus, in aureo libello de optimo oratorum genere satis luculenter ostendit, quantum intersit, utrum quis Attice, an optime dicat. Neque enim satis est,

inquit, oratori perfecto vitare si quid in sententia vitiosum, si quid absurdum, aut alienum; in verbis si quid non aptum, si durum, si longe petum. Hæc vitaverunt fere omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Attice. At magis oratores, cum careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine; sed vires, lacertos, sanguinem quærunt, quandam etiam suavitatem coloris. Id vero desinant dicere, qui subtiliter dicunt, eos solos Attice dicere, id est quasi sicce & integre; at ample & ornate & copiose cum eadem integritate, Atticorum est. Ex his satis intelligitis, Auditores, quam temere & impudenter in M. Tullio reprehendebant maximam illam ingenii ubertatem dicendique copiam, qui se Atticos, aut Atticorum imitatores profitebantur. Damnabant illi in eloquentissimo viro, quod multorum vitium esse solet, ea, quorum ipsi compotes esse non poterant. Non dicendi facultas, non ingenium, non industria illis tanta fuit, ut admirabilem M. Tullii eloquentiam exæquarent: & cum ipsi imbecilli, sicci, ac jejuni dicendo essent, præstantissimi oratoris amplitudinem & copiam vituperare maluerunt, quam tenuitatem & inopiam suam confiteri. Quod autem Ciceroni de elocutione a Gallo Asinio, & Lergio Licinio objectum est, id stomachum A. Gellio illud referenti sic movit, ut illos tanquam sacrilegos de Diis immortalibus male opinantes, & immania quasi monstra appellare non dubitaverit. At vero non tam stomachum, quam risum movere videntur homines isti amentes &

Stolidi , qui de integritate ac proprietate latini sermonis cum M. Tullio contendere ausi sint , quem latinæ linguæ auctorem & quasi parentem fuisse , communi sapientum judicio constat . Sed præstat viri doctissimi verba in medium afferre . Ut quidam fuerunt , inquit , monstra hominum , qui de Diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt , ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes extiterunt , in quibus sunt Gallus Asinius , & Largius Licinius ( cujus liber etiam fertur infando titulo Ciceromastix ) , ut scribere ausi sint , M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum . Hæc A. Gellius . Quæ vero imprudenter Ciceroni nugatores isti opponunt de verbo *pœnitet* , ab eo perperam usurpato , aliisque istiusmodi , cum perridicula ac prorsus falsa ab ipso A. Gellio judicentur acriterque reprehendantur , apud nos tanti non sunt , ut in iis confutandis morari debeamus . Potest is , cui vacat , apud ipsum ea legere atque perpendere : non modo non ineptum esse id , quod M. Cicero dixit , intelliget , sed eleganter , facete , ac festive dictum .

Jam vero iis , quæ Ciceronis splendorem maculis aspergere videbantur , satis superque deletis , ad cetera , quæ de illo duntaxat imitando objecta sunt , faciliorem fore video reliquum orationis meæ cursum . Nam quod primo reprehendebant , quod nos , uno Ciceronæ ad exemplum proposito , ceteros auctores , qui pulchre nitideque locuti sunt , injuriose repudiaremus , quis non videt , quam sit absurdum , & a veritate alienum ? Non equidem



repudiandos, & per summam injuriam abjiciendos eos esse dicimus, quorum perfecta divino ingenio monumenta suspicimus, ac tantopere veneramur. Imo & plurimum illis nos debere fateamur & propter ingentem optimarum rerum cognitionem & propter reconditas doctrinæ opes, quas summo labore & industria partas nobis ipsi reliquerunt. Sed in efformando stylo parandaque locutione magistrum omnium optimum M. Tullium illis præferendum esse putamus. Et sane primo quæram ab iis, qui omnes bonos auctores a nobis imitandos esse contendunt, an omnes illi inter se styli nobilitate, omnes elegantia & artificio pares existant, an vero alius alio melior, alius alio præstantior existimetur. Si primum asseruerint, concedi illis profecto potest, quod petunt: non uni eorum opera detur, sed æque omnibus studium & imitatio impendatur. Quod si, ut res est, negent illos pares esse ingenio, scribendique ratione similes, cur non melioribus operam dederimus, iis, qui minus boni sunt, neglectis? Jam vero non omnes bonos imitandos esse fateantur, necesse est. At si inter illos, qui boni esse dicuntur, unus longe omnium optimus longeque præstantissimus existeret, in quo quæ singula ceteri habent bona, in eo uno universa ampliora ac splendidiora conspicerentur; nonne hunc unum omnium maximum atque perfectum imitari præstaret, quam ceteros omnes, qui mediocriter boni esse censentur? Atqui hunc omnium principem clarissimum, atque summum, me quoque tacente, M. Tullium esse intelligitis: qui a

Cæsare, acerrimo ingeniorum cenfore, tanquam dux & inventor copiarum, ut antea diximus, laudabatur; a Vellejo Paterculo, vir ingenio maximus, a M. Seneca ingenium, quod solum par imperio suo Pop. Romanus habuit, ab Aquilio Gallo, Rhetoricæ omnium peritissimus, a Quinætiliano, in omnibus, quæ in quoquo oratore laudantur, eminentissimus, a Lactantio perfectus orator & summus philosophus, a D. Hieronymo eloquii flumen appellatur. Hic profecto talis tantusque vir mira ingenii felicitate omnem dicendi laudem consecutus est, & quæ ceteris insunt pulcherrima, in se uno splendide amplissimeque complexus est. Quod quidem ipse in oratore de se modeste fatetur. Nulla est, inquit, ullo in genere laus oratoris, cujus nostris in orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. Non assequimur, at quid deceat, videmus. Et revera, si de Græcis loquamur, non est, quod in eo desideretur Demosthenis summa vis, Platonis copia, & singularis Iſocratis suavitas, ut Quinætilianus affirmat. Quid vero de Latinis oratoribus, cum in se granditatem Sulpitii, vim Antonii, Crassi leporem, suavitatem Catuli, proprietatem Cottæ, splendorem Cæsaris, Hortensii flores effinxisse dicatur? Cum igitur in uno Cicerone pulcherrimum & perfectissimum eloquentiæ genus habeamus, unde quicquid egregium, quicquid splendidum & magnificentum tum in Græcis, tum in Latinis scriptoribus eminent, in nos derivare possimus, ad eorumne etiam, quæ non ita pulchra sunt, exprimendas ima-

imagines curam animumque traducemus? Atqui stultitiæ genus est, optimum imitari cum possis, ad id quod mediocre, aut deterius est, cogitationem adiciere. Neque quisquam erit tam amens pingendi artifex, qui si imaginem ab Apelle depictam ante oculos habeat, Polignoti, aut Thy-mantis curet inspicere tabulas. Cum itaque communi sapientum iudicio, nulla omnino virtus, nullum scribendi lumen, nulla laus in ullo sit, quæ M. Tullio non inesse longe præstantior atque absolutior inveniatur, quotus quisque supervacuam rem esse non videt, multos quantumvis bonos imitandos suscipere, cum magis expediat, ad unum omnium optimum ac præstantissimum, quem imitemur, industriæ nervos intendere? Frustra per longas ambages quærimus, quod recta via maturissime consequi possumus.

At enim Quinctilianus asseverat, M. Tullium non solum oratorem Græcorum omnium optimum Demosthenem esse imitatum, sed Platonem, sed Gorgiam, sed Isocratem, sed Hyperidem, sed Lyfiam; inter Latinos item non unum, sed multos, quos paulo ante numeravimus, Sulpitios, Antonios, Crassos, Catulos, aliosque sibi ad exemplum proposuisse. Libuit illi quidem apes imitari, quæ huc & illuc volantes, flores delibant, & fingendis favis conficiendoque melle succos ita permiscant, ut eos nemo inde discernat. Quod ergo Ciceroni licuit, erit ceteris interdictum? Minime gentium. Liceat per me tibi quoque omnes bonos imitari, quod Ciceroni licuit, si par ingenium, si par industria,

stria, si par scribendi labor & exercitatio tibi cum eo sit. At vero quis ignorat, Ciceronem ingenio plane divino fuisse, & a primis annis, ut Plutarchus refert, tantum in literis profecisse, ut ejus æqualium parentes ad eum videndum commoti fama convenirent? Quæntus autem fuerit in eo fere semper negotiis gravissimis occupato scribendi labor atque exercitatio, cum neque in feriis, neque in ludis, neque in communi otio unquam esset otiosus, quis dicendo paucis complecti possit? Hinc ille primo de legibus, subciviva, inquit, quædam tempora incurunt, quæ ego perire non patior, ut si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accomodentur, quæ scribimus. Et in orat. pro Planco, orationes ego scripsi ludis & feriis, ne omnino unquam essem otiosus. In Philippicis autem, dico, inquit, me nec reipublicæ, nec amicis unquam defuisse; & tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subcivivis, ut meæ vigiliæ meæque literæ & juventuti utilitatis, & nomini Romano laudis aliquid afferrent. Verum quid plura? Nonne innumera propemodum & immortalia ejus opera, quorum partim injuria temporum interiisse dolemus, partim in manibus omnium extant, id per se satis superque loquuntur? Cum hoc igitur tali tantoque viro ingenii vim & industriam suam homines isti conferant, qui ad ejus exemplum provocare audent, & omnes bonos scriptores se imitari posse confidunt. Legant diu noctuque, quemadmodum ille se fecisse fatetur, oratores tum

Græcos, tum Latinos, qui in laude aliqua fuerunt: expriment in se omnem omnium eloquentissimorum hominum in dicendo vim: experiantur sese pro virili, æmulari conantes & ubertatem Livii & brevitatem Sallustii & proprietatem Cæsaris & candorem Celsi & Tullii denique ipsius ornatum & amplitudinem. Nam si id assequantur, tunc non inviti illis concedemus, ut non unum Ciceronem, sed omnes quotquot extant auctores, quam volunt libere imitentur. At vero quis animo non comprehendit, quam difficilis & ardua res sit, multos & varios, atque inter se omnino dissimiles scriptores legere, meditari atque concoquere, ut inde una & simplex, sibi que perpetuo constans digeratur, & coalescat oratio, non autem monstrum aliquod exoriatur, cui cum cervice equina, ex Horatii sententia, junctum sit caput humanum? Non mihi, sed summo ingenio viro, & in literis & eloquentia maxime exercitato P. Bembo Cardinali credite: qui de hac ipsa controversia ad Picum Mirandulanum hominem literatissimum scribens, multorum recte imitandorum difficultate perpensa, fieri non potest, ait, ut qui multos assequi una scribendi ratione vult, ejus oratio non dissimilis, non impar, non sibi diversa, inconstansque sit, non inconcinna, non parum cohærens, dum hujus lenitatem, illius vero ardorem, alterius ornatum, alterius negligentiam, quæ quidem interdum, ut in muliere non fucata facies, sic in scribente gratior est, sexcenta præterea alia, multumque differentia scribendi genera qualitatesque

que complectitur. Et sane quemadmodum stultitiæ genus esset, ad unius hominis os vultumque effingendum, dissimiles multorum hominum vultus assumere, quorum unus hilaritatem, alter tristitiam, hic benignitatem, ille severitatem præ se ferat, ita ex multis scriptoribus, quorum lineamenta & color varia ac dissimilia sunt, unam & eandem velle scriptionem conficere, absurdum est profus ac perridiculum. Quis enim facile possit Livium cum Sallustio, Cæsarem cum M. Tullio, Virgiliûm cum Plauto, aut Terentio una similique scribendi ratione conjungere, qui dicendi genere inter se differunt quammaxime? Præterea si viros singulari ingenio præditos non nisi multorum annorum studio, multisque vigiliis assequi potuisse legimus, ut ad propriam unius scriptoris dictionem proxime accederent, quæ per Deum immortalem tanta ingenii vis, tantus labor atque conatus, si omnes legendi, omnes imitandi sint? Franguntur vires, contentio animi debilitatur, atque ardor elanguescit, dum in singulis unius scriptoris lineamentis exprimendis occupamur, & unius styli faciem pari verborum ornatu & elegantia representare conamur: & tantum nobis ingenii acumen, tantum animi robar, tantam industriam inesse putabimus, ut non unum, sed omnes auctores recte imitari possimus? O nimiam de se hominum opinionem. O vanam ingeniorum fiduciam. Utinam homines isti audaces sedulo ad unum Ciceronem imitandum curas animumque adhiberent. In hoc uno recte imitando atque expri-

men-

mendo, omnes profecto alios imitarentur, cum unus Cicero raro naturæ miraculo & inaudita ingenii felicitate consecutus sit omne id, cujus ceteri omnes vix partem aliquam consecuti esse videntur.

Sed ecce alia in M. Tullium adversariorum tela. Verbosior est, inquiunt, Cicero, quam quod præfens scribendi ratio, consuetudo atque usus postulent. Amant magis hæc nostra tempora pressum, sententiosum & acutum dicendi genus, quam Ciceronianæ eloquentiæ copiam & lacinias. Satis quidem belle. Sed ab acutis ejusmodi scriptoribus primum peto, an de latinitate & stylo forensi, quo nunc utimur, an de quocunque alio scribendi genere isthæc dicant. Nam si primum, fatis jam alias, cum de latinitate forensi expurganda, tum etiam cum de necessitate eloquentiæ in judiciis hodiernis orationem habuimus, ex hoc ipso loco graviter diximus, eorumque opinionem, qui nunc Ciceronis eloquentiam e foro esse omnino proscriptam putant, pro virili parte convellere conati sumus. Quod si de alia quavis scribendi ratione intelligi volunt, excusandi sunt quidem, si præter paucas illas Ciceronis orationes, quarum notitiam in scholis a pueris habuerunt, nullum aliud tanti viri opus unquam aut viderint, aut legerint. Nam ut mitius cum iis, qui Ciceronem tanquam verbosum reprehendunt, agamus, quam aliam quæso erroris excusationem asferre possunt, quam unam, in qua versantur, Ciceronis ignorationem? Etenim cni verbosior Cicero ipse videatur, si tres ejus de oratore libros, tum etiam alios de claris  
 ora-

oratoribus, de oratore perfecto, ac de optimo oratorum genere perlegerit, quos omnes presse, subtiliter & acute scriptos esse constat? Evolvant libros tum de Academicis, tum de Tusculanis quaestionibus, de natura Deorum, de divinatione, de fato, de legibus, aliisque permultis, in quibus praeter infinitam rerum cognitionem eximiamque doctrinam, qua illi abundant, omnia tam sapienter, quam concinne ac sententiose conscripta invenient. Quid de officiorum libris ad Marcum filium loquar, in quibus cum tam pulchra de civili sapientia & virtutum omnium disciplina disputaret, aequabili & temperato orationis genere usus est? Huc accedunt tot epistolarum libri ad Atticum, ad Quintum fratrem, ad M. Brutum, ad Panfam, ad Hircium, aliosque familiares, qui omnes doctorum virorum judicio octoginta fere numerantur, in quibus sane nulla potest verborum copia reprehendi: sed sic omnia venuste, eleganter sciteque scripta sunt, ut mea quidem sententia, si nulla alia M. Tullii monumenta existent, sola epistolarum volumina ingenium ejus admirabile & quasi divinum comprobarent. Haec igitur legant, haec serio evolvant, & acri judicio perscrutentur scituli isti ac peracuti Ciceronianae locutionis censores; & si quid verbosum, si quid inane, aut redundans in iis tandem offenderint, tunc sane Ciceronem nimiae loquacitatis reum faciant. At vero quae summa impudentia est, cum tot praecleara Ciceronis ipsius opera ne de nomine quidem audiverint, ei de verbosiore stylo diem dicere, eumque indistincta causa damnare? Si



in tanta jacent literarum ignorantia, ut quæ pres-  
sum & subtile dicendi genus, quæ autem am-  
plum, copiosum & magnificum postulant, mini-  
me videant, cur ea damnant, quæ minus intelli-  
gunt? Cur virum, quem D. Augustinus modo  
maximum oratorem, modo Romani auctorem e-  
loquii, modo magnum eloquentiæ principem vo-  
cat, ipsi tanquam loquacem, & plus nimio ver-  
bosum accusant? Sapienter quidem Cicero, quod  
obrectatores isti minime capiunt, varia dicendi  
genera cogitabat: & cum domi epistolas, sermo-  
nes familiares, aut dialogos scriberet, concisus,  
tenuis & quasi humi serpere visus est: cum au-  
tem sive in senatu, sive in foro, sive in concio-  
ne diceret, tanta eloquentiæ copia tantaque in-  
genii ubertate dicere solitus est, ut dicenti ma-  
ximæ Pop. Romani acclamations maximique do-  
ctorum virorum plausus fierent, quasi aliquod e-  
loquentiæ numen loqueretur. Atque hinc in fo-  
ro & judiciis regnare dictus est, eoque amplitu-  
dinis & gloriæ pervenit, ut T. Livius Romanæ  
historiæ princeps, tam lepide quam vere dixe-  
rit, ad Ciceronis laudes opus esse Cicerone lau-  
datore.

Habetis igitur, Adolescentes optimi, in uno Ci-  
cerone omnem scribendi rationem perfectam & abso-  
lutam. Multiplex & varium, quo ille ceteris longe  
præstitit, dicendi genus, omnem vobis suppeditat  
singularem styli varietatem uberrimamque exemplo-  
rum copiam. Si dictione simplici, aut tempera-  
ta vobis opus est, habetis, præter quæstiones  
Tusculanas, epistolas familiares, dialogos de ami-

citia, de senectute, de somnio Scipionis, atque  
 alia sexcenta, quorum lectione stylus ejusmodi  
 formari, maximeque limari possit. Si grandi &  
 sublimi dicendi genere, quod splendidis verbis  
 gravibusque sententiis sese attollat, uti debeatis;  
 unde uberiora & illustriora peti possunt, quam a  
 Cicerone ipso hujusmodi exempla? Perlegite præ-  
 stantissimas ejus orationes, præsertim ex Catili-  
 nariis secundam, ex Verrinis septimam, tum pro  
 M. Cælio, pro Corn. Balbo, tum etiam pulcher-  
 rimas duas pro Domo sua & pro Milone, Phi-  
 lippicas demum, quarum secunda supra ceteras  
 eminent, senili maturitate ac sapientia canescentes:  
 quis inter Græcorum, aut Latinorum eloquentis-  
 simos oratores sublimiore stylo unquam scripsit?  
 Quis majore sententiarum gravitate, aut splendi-  
 diore majestate verborum usus est? Et erit quis-  
 quam tam amens, qui castitatem & elegantiam  
 sermonis dicendique ornamenta in aliis auctoribus  
 inquirere velit, quæ omnia in uno Cicerone tam  
 ample tam plene cumulateque splendescunt? Ita-  
 que vos, Auditores ornatissimi, mihi, homini in  
 literarum studiis quantum satis exercitato, vestri-  
 que amantissimo credite: plus vobis ad latinita-  
 tem & germanam eloquentiam comparandam pro-  
 derit assiduum ac diligens unius Ciceronis stu-  
 dium, quam lectio multiplex & diuturna cetero-  
 rum omnium scriptorum.

DE STUDIO POETARUM  
AD LITERAS ET ELOQUENTIAM

NECESSARIO

ORATIO III.

*Habita Idibus Novembr. MDCCXXXIII.*

**S**I qua fuit unquam opinio optimis artibus pernicioſa, quæ adoleſcentium noſtrorum in ſuſcepto literarum curriculo iter retardaret, aut impediret, ea certe eſt, quam hoc tempore multi habent de Poeticæ facultatis doctrina. Putant enim, ſe nullum, aut perexiguum ex ejuſmodi ſtudio fructum eſſe percepturos: proinde non modo præcipua carminum genera, leges ac metra diſcere dedignantur, ſed ne ipſam quidem poetarum lectionem, qua certe nihil ſuavius, nihil eſt jucundius, audire operæ pretium ducunt. Hinc fit, ut ſtatis diebus, qui ſive Horatio, ſive Plauto, ſive Terentio, aliſque poetis a nobis de more interpretandis dedicantur, complures eorum has ſcholas minime frequentent, qui alioquin oratoribus, aut hiſtoricis explicandis haud indiligenter adeſſe conſueverunt. Quæſi vero ex illa poetarum lectione nihil ſolidi, aut bonæ frugis domum referre poſſint, aut nos homines otioſi alternis diebus poeticis nugis & anilibus fabellis delectemur. Itaque ut ali-

quando tandem quam stulte hac in re decipiantur, agnoscant, constitui in hac studiorum incun-  
tium celebritate poeticæ artis utilitatem ante o-  
culos istorum ponere, ut qui ad latinæ elegantiæ & eloquentiæ dignitatem aspirare volunt,  
demum intelligant, neglecto poetarum studio,  
se oleum atque operam perdere; adeoque si quis  
in illis latinarum literarum est amor, si quod  
eloquentiæ comparandæ studium, certo sciant, in-  
teresse sua plurimum, iratis musis & Apollini tem-  
pestive reconciliari, ut ipsis faventibus ad nobilissima  
ejusmodi studia viam sibi muniant expeditam.

Nolo autem in hoc ipso dicendi aditu diu  
morari in poeticæ laudibus prædicandis, quod  
nimirum longum esset ac perdifficile. Hoc sane  
multi ante me oratores, præsertim vero Hermo-  
genes & Aphthonius clarissimi rhetores & copio-  
se & graviter & ornate fecerunt. Multa sunt  
volumina, quæ poeticæ artis dignitatem, tum  
etiam vetustissimam, imo divinam ejus origi-  
nem, quam illa a Diis ipsis ducere creditur,  
satis superque commendant. Neque aliquis ve-  
strum ignorat honores amplissimos, quibus tum  
Græcia, tum Romana respublica poetas, quasi  
homines cœlesti spiritu afflatos, atque ad nos de  
cœlo delapsos, coluit, quos proinde Deorum fi-  
lios Plato nuncupavit. Et sane quis ab orbe  
condito fuit unquam Homero fama illustrior, &  
omnium ore magis celebratus? Cujus ingenium  
sine exemplo maximum Vellejus affirmavit, eum-  
que solum magnitudine operis & fulgore carmi-  
num appellari poetam meruisse. Cuiquam Roma

ampliores honores, quam latinorum poetarum principi Publ. Virgilio detulit? Testes sunt Cæsaris Augusti literæ: testis ipse Pop. Rom. qui in theatrum adveniēti assurrexit universus, atque illum præsentem spectantemque non minus ac Augustum ipsum venerari solitus est. Quid dicam plurimos clarissimos reges & imperatores, qui poetica facultate pollere, pulcherrimum sibi duxerunt, neque ex illa minorem sibi gloriam, quam ex re militari, atque orbis imperio comparari posse putaverunt. Infinita sunt equidem nobilissimæ facultatis decora, & summa ac prope singularis apud omnes fere gentes poetarum gloria. Sed cum de iis dubitare non possint, nisi qui rudes prorsus ac barbari omni literarum notitia carent, ne actum agere videar, ad illa proinus me convertam, quæ ex poeticis studiis maxima consequuntur emolumenta.

Igitur adolescentes nostri in humanioribus literis & eloquentia proficere, quod felix faustumque sit, percipiunt; at musas & carmina & poetarum libros cane pejus & angue oderunt, atque averfantur. Verum usque adeone boni adolescentes poeticæ naturam, ne nomen dicam, ignorant, ut quanta sit inter bonas literas & eloquentiæ studium cum poetica disciplina conjunctio, minime videant? Ignorantne eloquentiam a poetica tanquam a parente filiam ortam atque progenitam? Audiant gravissimæ auctoritatis viros Strabonem & Isidorum, qui tam apud Græcos, quam apud Latinos longe antiquiorem carminum, quam prosæ curam fuisse testantur. Audiant

Plutarchum, qui in suis opusculis, tum in libro de musica, tum in eo, in quo docet, quomodo a juvenibus poetæ audiendi sint, inter cetera luculenter ostendit, poeticam omnis disciplinæ fuisse initium. Et sane si poetæ jam tum dispersos homines in unum locum congregasse & mira dulcedine carminum ex agresti illo ac ferino vivendi genere ad mitiorem & humaniorem vitam traduxisse perhibentur, quis dubitet, poeticæ inter reliquas disciplinas principem locum esse tribuendum? Ipsa quidem multo prius, quam eloquentia potuit agrestes & immites hominum animos mulcere cantu, & ad pulchritudinem virtutis alligere. Ipsa prior apud illos de immortalis Deorum natura differere, eorum laudes canere, & sacra facere instituit, unde poetæ primi & Theologi & Sacerdotes vocati sunt.

At dicet quispiam, non de dignitate, aut origine disciplinarum lis est: sed cui bono adolescentibus ad eloquentiam properantibus poetica sit, abs te quærimus. Ita sane. Ego equidem a poetis omnem latinarum literarum elegantiam & eloquentiæ laudem in nos derivari contendo. Quis enim hac nostra ætate latine scire, aut latine scribere cupiat, qui longe melius ex ipsa poetarum lectione, quam ex Grammaticorum schola voti compos non fiat? Ætatem quis terat in Grammaticorum subselliis: audiat complures annos Priscianum, audiat Servium & Donatum, percurrat Alvarum, perlegat Scioppium, aut quoscunque alios, qui de Grammatica diligenter accurateque scripserunt: quid illi diutur-

nus adeo, atque improbus labor tandem prode-  
 rit ad latinæ locutionis castitatem & elegantiam  
 comparandam? Nihil profecto. Nam, ut Quin-  
 ctilianus affirmat, quid aliud est Grammaticæ lo-  
 qui, quam omnino latine non loqui? Erit qui-  
 dem tibi sine barbarismis, aut solœcismis ora-  
 tio, erit immunis a censoria Grammaticorum  
 virgula sermo, sed macer & exanguis & veluti  
 corpus, in quo nihil præter ossa, aridum ac sine  
 spiritu. Contra vero si Plauto ac Terentio te dede-  
 ris, si Virgilium atque Horatium, si Catullum ce-  
 terosque elegantiores poetas in manus persæpe sum-  
 pseris, haud multum aberit, quin in Latium quasi  
 translatus, latinam linguam arripias, & non mi-  
 nus latine loquendo, quam latine scribendo va-  
 leas. Et sane ex quonam fonte summus ille la-  
 tinitatis magister ac parens Cicero proprietatem  
 sermonis nitoremque verborum hausit, utrum ex  
 Varronis Grammatica, an ex perpetua Plauti,  
 Terentii aliorumque poetarum lectione, quos  
 quandiu vixit, in oculis habuit atque deliciis?  
 Si quis vel paululum ad singulos ejus libros ani-  
 mum adijciat, facile intelliget, quot passim oc-  
 currant, veluti in prato flores, scite & eleganter  
 dicta, quæ ille a poetarum lectione collegit.  
 Quot enim apophthegmata, quot adagia in ejus  
 libris de officiis, de divinatione, in quæstionibus  
 Tusculanis, tum etiam in admirandis ac prope  
 divinis illius orationibus, in quibus omnis elo-  
 quentiæ amplitudo, veluti in theatro expatiari  
 visa est? Unde breves illæ & illustres sententiæ,  
*homo sum, & nihil humani a me alienum pu-*

20 : obsequium amicos, veritas odium parit :  
 neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam  
 atque alia sexcenta, nisi ex poetis, ut singula  
 verba testantur? Neque vero id tantum M. Tul-  
 lio, sed ceteris quoque oratoribus familiare fuisse  
 Quinætilianus affirmat. Credamus, inquit, sum-  
 mis oratoribus, qui veterum poemata, vel ad fi-  
 dem caussarum, vel ad ornamenta eloquentiæ as-  
 sumunt. Nam præcipue quidam apud Cicero-  
 nem, frequentius tamen apud Asinium etiam &  
 ceteros, qui sunt proximi, vidimus Ennii ac Pa-  
 cuvii, Lucilii, Terentii, Cæciliæ & aliorum in-  
 feri versus, summa non eruditionis modo gratia,  
 sed etiam utilitatis, cum poeticis voluptatibus au-  
 res a forensi asperitate respirent. Ex iis jam pla-  
 ne constat, quam turpiter hallucinentur, qui poe-  
 tarum lectionem tanquam inutilem damnant, &  
 adolescentium e manibus poetas stultissimæ excu-  
 riunt. Sunt profectio poetæ genus hominum inter  
 scriptores omnes eloquendi studiosissimorum. Hanc  
 ipsis laudem tribuit acerrimus omnium unus lati-  
 nitatis censor Laurentius Valla, qui in aspera illa  
 contra Bartholomæum Facium de quibusdam la-  
 tinis vocibus pugna, M. Tullii auctoritate mini-  
 me contentus, ad poetas ipsos, quos omnium in  
 dicendo castigatissimos vocat, provocare non du-  
 bitavit. Et sane quis Publ. Terentio purior &  
 elegantior, cujus mira est amænitas, iudicium ac  
 venustas; cujus incredibiles lepores, ut Josephus  
 Scaliger ait, vix centesimus eruditorum quisque  
 videt? Quis Plauto magis excultus, magis venu-  
 stus, unoque verbo magis latinus, quem latinæ  
 lin-



linguæ & elegantia principem A. Gellius appellat, cujus ore musas locuturas fuisse, si latine loqui vellent, Aelius Stolo dixisse fertur? Quis denique Catullo, quis Publ. Virgilio, quis Horatio Flacco proprietate dicendi & nitore præstantior? Non immerito hos atque alios elegantissimos ejusmodi poetas, tanquam optimos latinæ linguæ auctores, una cum Cæsare, cum Corn. Nepote, cum M. Tullio aliisque præcipuis latinæ linguæ parentibus recensere non dubitarunt Hadrianus Cardinalis, Borrichius, Cellarius, Funcius, Facciolatus aliique emunctæ naris censores ac viri doctissimi. Et revera si poetarum fontes arefcerent, non tam florentem, fœcundam atque uberem latinam linguam haberemus.

At enim diligens & accuratum unius Ciceronis studium ad omnem latinitatis nitorem & copiam comparandam satis esse videtur. Quid? Nonne duos ab hinc annos tute ex hoc ipso loco M. Ciceronem unum omnium maxime castitate sermonis dicendique venustate ceteris auctoribus præferendum esse affirmabas? illum scilicet latinitatis parentem, illum elegantia magistrum, illum denique eloquentia ducem & imperatorem esse prædicabas, proinde illum ipsum nos unice debere complecti, & pro viribus imitari. Cur ergo nunc poetas tantis in cœlum laudibus tollere, eosque nobis tanquam latinitatis elegantioris magistros obiicere? Video, Auditores, poetarum causam summam in periculum ac discrimen esse adductam. Aut enim M. Tullium poetis, aut poetas M. Tullio de suo jure cedere necesse

cesse erit. Itane vero? Quid, si M. Tullio ipso auctore, vos ad poetarum studia incitari, urgeri, ac propemodum compelli ostendam? Nemo fere est in Ciceronis libris vel mediocriter versatus, qui non intelligat, quantam Ciceronianæ imitationi vim & dignitatem conferat diligens & assidua lectio poetarum. Nam unde tot sales, unde tot festivitates, unde tot lepores Cicero ipse in sua scripta derivavit, nisi a poetis? Proinde ille sapius oratori, quem suscepit instituendum, & præclaro suimet exemplo, & gravissimis verbis inculcat, non minus quidem poetas, quam oratores esse legendos. Itaque in lib. 3. de oratore, omnis, inquit, loquendi elegantia quanquam expoliatur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus & poetis. Nec multo post eandem incudem tundens, de subtiliore literarum ratione loquens, hanc, inquit, alit consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, confirmant libri & lectio veterum oratorum & poetarum. Audistis? ad elegantiam latine loquendi, ad interiorum literarum cognitionem non sola oratorum lectione, sed poetarum quoque intelligentia atque usu vobis opus est. Hac autem de re vos non Homerus, non Euripides, non Horatius monet, aut alius quispiam e genere poetarum, sed oratorum dux & antesignanus M. Tullius: cuius auctoritas apud vos si tanta est, quanta profecto esse debet, jam plane videtis, quo loco & existimatione poetas habere debeatis.

Sed jam tempus est, ut quantum ad eloquentiæ dignitatem poesis ipsa conferat, clariore ar-

gumento percipiatis. Nemo vestrum ignorat, eloquentiæ splendorem & decus ab elocutione potissimum proficisci. Hæc nimirum orationem veluti lux illuminat & colorat : hæc res variis tropis & figuris exornat, hæc demum facit, ut sermo eloquens ab omni alio dignitate & naturali pulchritudine distinguatur. Omnes autem intelligunt, elocutionem ad oratores a poetis, ut Aristoteles ait, esse profectam. Quanquam enim non sit apud oratores & poetas eadem loquendi ratio, immo poetæ alia quadam lingua, ut Cicero affirmat, loqui soleant, splendidam tamen uberrimamque & verborum & sententiarum suppellectilem oratori poeta suppeditat, unde oratio fiat ditior, & figuris veluti luminibus illustretur. Atque hinc est, quod Cicero in libris de oratore eloquentiæ candidatos tam sæpe serioque monet, ut meminerint se non oratorum tantum, sed & poetarum studio deditos esse debere. Et sane quis non videt, omnem granditatem orationis, omnem peregrinam & a vulgari abhorrentem conformationem verborum, omnes figuras insigniores non ab alio scriptorum genere peti, quam a poetis? Non est, quod longius, confirmandæ rei causa, argumenta conquiramus. Satis est, ut unam, vel alteram M. Tullii orationem ad memoriam vobis revocetis, in qua non adumbrata, sed expressa poetarum vestigia conspicietis. Recordamini, si placet, gravissimam illam non minus ac festivam pro M. Cælio, quam anno superiore explanavimus. Agebatur causa summis involuta difficultatibus, ac multis tricis

im-

implicata. Quæstio erat de veneno primariae foeminae a M. Cælio comparato. Tres urgebant Cælium accusatores acerrimi Herennius, Balbus, & Publ. Clodius homo furiosus, & Clodiae sororis ultor infestissimus. Haud deerant graves de juvene M. Cælio suspiciones: aurum a Clodia commodatum, quod illi reddere tenebatur, immodici sumptus, æs alienum, ac præterea Catilinæ familiaritas, quæ ejus pudorem & famam attriverat. Oppugnabat denique Cælium foemina nobilis ac furens, quæ quantum adolescentis ipsius amore antea deperierat, tantum postea odio ac furore inflammata in illum ferebatur. At Cicero, Cælii defensione suscepta, convulsisque firmioribus objecti criminis fundamentis, ut hinc mulieris audaciam procaciamque comprimeret, illinc juvenis levitatem excusaret, & innocentiam regeret, quot & quanta a poetis eloquentiæ subsidia collegit? Quid enim Appius ille cæcus ab inferis excitatus, quem ad Clodiam, tanquam Clodiae gentis dedecus ac probrum, lepide simul & acriter insectandam coram iudicibus loquentem sistit? Quid subtristis illa ac severa Cæciliani senis persona inducta, ut M. Cælium objurget, quod in nimiam Clodiae familiaritatem se dederit, quod se in ejus viciniam contulerit, quod cognitis illius illecebris, ab ea domo pedem non continuo retraxerit? Quid postremo verba illa partim a Comicis, partim a Tragicis scriptoribus accepta, quibus ad ejusmodi personas vivis eloquentiæ coloribus exprimendas utitur? *Nunc enim demum mihi animus ardet: nunc meum*

meum cor cumulatur ira. O infelix, o sceleste. Egone quid dicam? Egone quid velim? Quæ tu omniatuis fœdis factis facis, ut ne quicquam velim: atque alia multa ex Cæcilio poeta usurpata, quæ quantum ornamenti & leporis orationi Cælianæ conferant, paucis explicari non potest. Et quod magis est, poeticis hujusmodi figuris & salibus respersa oratio tantum apud iudices valuit, ut impudentissimæ fœminæ moribus ad unguem expressis, omnem veneni suspicionem a M. Cælio amoliretur, atque illum iudicio periculoque liberaret. Neque mirum, si ea facilius persuadere solent, quæ magis delectant ac movent: qua in re nemo magis quam poeta valet. Quis enim melius tot tamque dissimiles animorum nostrorum motus effingit? Ubi profecto clarius, quam in scena videas alios iracundia furentes, alios amore insanos, alios contabescentes avaritia, aut luxu perditos, hos lætitia exultantes, illos metu pallentes atque suspensos; adeo ut nulla sit in communi vita perturbatio, cujus exemplum ab ipsa scena peti minime possit. Cum itaque opes & copias suas eloquentia in hoc maxime ostendet, ut mentes hominum, quo velit, facile impellat, quis non videt, quantum oratori ad causam obtinendam profit, poetarum ipsorum virtutes persequi, eandemque concitantium animorum rationem sibi comparare? Finitimus est, inquit Cicero, oratori poeta, cujus virtutes omnes persequitur, cum numeris sit adstrictior, ornandique generibus socius ac pene par. Atque hinc est, quod prisci rhetores & elo-

quen-

quantia magistri Menandrum præcipue pueris le-  
 titandum & ediscendum dabant, quo facilius poe-  
 ticæ virtutis præstantiam & dotes eisdem instilla-  
 rent, & expeditam ad eloquentiam viam sterne-  
 rent. Quamobrem Dio Chrysoſtomus in oratio-  
 ne, quæ de exercitatione dicendi inſcribitur, in-  
 ter cetera ſuadet in primis, ut Euripidem Tra-  
 gicum & Menandrum Comicum affidue in ma-  
 nibus habeamus, atque eos non legamus tantum,  
 aut recitemus ipſi, ſed ut coram nobis ſuaviter  
 & canora voce eorum verſus pronuntiari jubea-  
 mus, cum certum ſit altius a nobis penetrari ſo-  
 lere ſenſus verborum, cum a legendi moleſtia li-  
 beri ſumus. Quo factò quis non intelligit veteres  
 dicendi magiſtros & ſtyli magnificentiam & elo-  
 quentiæ ſplendorem & actionis ipſius dignitatem  
 ipſa poetarum recitatione nobis ſedulo inſinuare  
 voluiſſe? Tanta nimirum eſt eloquentiæ cum poe-  
 ticæ ſtudio conjunctio, tanta oratorum cum poe-  
 tis affinitas, ut ſine hiſ illi nullo modo conſiſte-  
 re poſſe videantur. A poetis enim orator habet  
 plene ac numeroſe dicendi rationem, quod qui-  
 dem non obtinet, niſi qui aures habeat in poe-  
 ticis numeris diu tritas multumque exercitatas :  
 a poetis ſententiarum gravitatem ac ſplendorem  
 verborum, quibus ita rem exornat atque illu-  
 ſtrat, ut non tam illam audire, quam oculis in-  
 tueri videamur : a poetis denique ſublimioris ſtyli  
 majeſtatem, quæ audientium animos extra ſe  
 quodammodo rapiat, & admirationem quoque  
 ab invitis extorqueat ; ut proinde qui de ar-  
 tiſſimo cum eloquentia poetiæ vinculo dubitant,  
 quaſi

quasi de clarissima solis luce dubitare videatur. Quamobrem singulari Dei Opt. Max. providentia renascentibus post diuturnum & luctuosum naufragium in Italia bonis literis, quid aliud operæ primum sibi sumpserunt, Valla, Philelphus, Bembus, aliique plures immortalis memoriæ viri ad eloquentiam veteri splendori restituendam, nisi obsitas squalore ac rubigine musas abstergere, atque Apollini irato litare? Ex quo factum est, ut sub idem fere tempus tot repente prodierint veluti ex equo Trojano viri, non minus in poetica, quam in arte dicendi præstantissimi, ut quis ultra magis excelleret, haud facile dijudicari possit. Vix enim fuit quisquam per ea tempora alicujus nominis doctrina & eloquentia clarus, qui simul poeta egregius non esset, cujus non erent in lucem una cum soluta oratione varii generis carmina, hymni, elegiæ, poemata, quorum bona pars ad nostram usque ætatem pervenit, adeo ut Lilius Gyraldus, inito ætatis suæ poetarum calculo, duos libros impleverit. Intelligebant quippe viri sapientes, neglecto poetarum studio, nullum neque ad eloquentiam, neque ad omnem sive Græcam, sive Romanam eruditionem aditum sibi patere, cum infinita fere sint antiquitatis mysteria, quæ tum Græcorum, tum Romanorum in carminibus latent poetarum. Sed paulatim eo me dicendo abreptum video, unde nec facile, nec brevi emergere possit oratio; si nimirum dicere aggrediar, quanta sit non modo cum omni antiquitatis eruditione, sed cum ceteris quoque clarissimis disciplinis poeticæ facultatis

societas atque conjunctio . At nolo extra ostium limenque pedem efferre . Satis mihi erit , si humaniorum literarum & eloquentiæ studiis poesim maxime necessariam comprobavero .

Vos itaque , Adolescentes optimi , jam intelligitis , quanti æstimare debeatis poeticæ disciplinæ studium , poetarumque lectionem . Continet illa purioris latinitatis succum & sanguinem : continet elegantiores dicendi venes , continet masculæ eloquentiæ robur & dignitatem . Non desunt in poetis verborum splendor & sententiarum gravitas , quibus oratio sublimior incedat : non desunt jocandi lepos , sales ac facetiæ , quibus sermo quandoque conditur . Inest illis antiqui incorruptique sermonis venustas & gratia , quibus dotibus dialogi , epistolæ , aliaque scribendi genera magnopere commendantur . Postremo ad omnem antiquitatis intelligentiam facem vobis poetæ præferunt . Sublatis enim de medio poetis , quam pauca nobis essent explorata atque comperta de moribus , de ritibus , de religione veterum Romanorum ? Quanta nos lateret rerum innumerabilium scientia , quam posteritatis memoriæ poetarum carmina tradiderunt ? Proinde si vobis cum in his , tum in aliis optimis studiis excellere cordi est , si præ ceteris eloquentiæ dignitas vobis arridet , nolite de finu poetarum unquam abiicere , nolite poetarum studia diu noctuque intermittere : brevi multos ingentesque fructus inde vos percepisse cognoscetis .



DE PRÆMATURA  
INGENII SUI OPINIONE  
ORATIO IV.

*Habita Idibus Novembr. MDCCXXXIV.*

**A**NIMADVERTI sæpe, PP. amplissimi, optimis disciplinis magis conducere hodierno die præfari quidpiam, quod ad earum progressum & incrementum referatur, quam ad ipsarum laudes novo aliquo & singulari argumenti genere celebrandas orationem adornare. Quis enim hoc tempore adeo rudis & imperitus existit, qui non intelligat, quantus sit literarum splendor, quanta dignitas & amplitudo? Quis animo non comprehendit & maximas utilitates ex literis in hominem derivari, & voluptatem incredibilem ex earum studio percipi, & immortalem nominis gloriam ex illarum usu comparari? Hæc profecto omnes intelligunt, sciunt omnes. Ignorant tamen non pauci homines, adolescentes præsertim, impedimenta plurima literarum studiis adversari, quæ cupientibus progredi iter retardant, ac remorantur, vel etiam omnino intercludunt. Proinde fyrtes hujusmodi & scopulos juventuti studiis deditæ præmonstrare valde expedit, ne illis incauta adhærescat, ac naufragium miserrimum faciat. Neque vero hodie mihi mens est, omnia dicendo persequi, quæ literarum cupidis magno studio de-

clinanda esse intelligo : infinita enim susciperetur oratio, quæ & usitata brevitate modum excederet, & nimis patientia vestra abuti videretur. Sed unum ex multis feligam, quod tanquam studiorum omnium pestis & labes velis remisque fugiendum esse puto : opinionem dico illam, quam quis habet de suo ingenio, literis & doctrina præmaturam. Hanc sane studiosæ juventuti inimicam, hanc ingenii infestam esse maxime judico. Proinde vos, Adolescentes optimi, quorum causa potissimum agitur, adeste animis, dum ego pro virili parte adnitari vobis ostendere, nihil esse discentibus immatura hac doctrinæ opinione perniciosius, nihil idcirco vobis majori cura studioque cavendum.

Et quidem cogitate mecum, Auditores, quanta sit cujuscunque disciplinæ amplitudo : in quem late patentem campum excurrere debeat is, qui vel in una scientia sibi primos ordines ducere proposuerit. Multa revera sunt, quæ in tanta librorum ubertate exquirenda occurrunt : multa, quæ ad criticæ normam expendere, multa, quæ recto judicio accuratoque examine dijudicare necesse est. Tot vero tantisque tenebris veritas involuta delitescit, tam abdita, tam recondita, & ab oculis nostris tam longe recedit, ut qui illam in profundum demersam puteum finxerunt, nil verisimilius fingere potuisse videantur. Verum quo clarius id, quod dicimus, in una aliqua facultate, quasi coloribus expressum videatis ; ponite vobis ante oculos præstantissimam medicinæ scientiam, cujus five dignitatem, five usum, five

ne-

necessitatem spectemus, ea certe est apud omnes  
 gentes disciplinarum omnium maxime exulta.  
 At vero quæ & quanta, Deus immortalis, bo-  
 narum artium, rerumque varietas præcognita esse  
 debet homini medicam artem profitenti? Si quis  
 secum reputet, quam diversa sit constitutio cor-  
 porum, quanta hominum ex ætate, sexu, loco  
 cælo, educatione, consuetudine, studiis dissimili-  
 tudo, quot & quam contraria ex contrariis &  
 pugnantibus causis morborum genera, quot fe-  
 brium classes, quot denique mortis casus; facile  
 intelliget, medendi artem opus esse difficillimum,  
 ingenio hominum majus, & quasi divinum. Pro-  
 inde nisi ad illam quis Græcarum literarum scien-  
 tia instructus accedat, nisi physicam benedidice-  
 rit, nisi humani corporis fabricationem, singula-  
 rum partium texturam usumque noverit, nisi san-  
 guinis humorumque naturam, vim motumque  
 perceperit, nisi demum morborum causas, & me-  
 dicamentorum vires satis exploraverit, is matu-  
 randa potius necis, quam salutis reparanda au-  
 ctor existet. Quo factum est, ut homines inge-  
 nio ac doctrina præclari tot ætates in corpore  
 humano ejusque partibus perscrutandis desudave-  
 rint, ac de mirabili earum structura, de morbis  
 eorumque curatione infinita prope volumina po-  
 sterorum memoriæ reliquerint. Etenim negari non  
 potest, præter Hippocratis & Galeni labores pro-  
 pe immensos, præter Avicennæ aliorumque Ara-  
 bum vigilias, ad artem medicam plurimum lucis  
 ex assiduo recentiorum medicorum studio atque  
 industria accessisse. Nam & lacteas venas Asel-

lius, & originem nervorum Varolius, & Eustachius renum, & Vesalius cesophagi glandulas invenerunt. Investigavit Versungius ductum pancreaticum, thoracicum vero Pequetius. Præterea Harvejo, seu potius Andreæ Cifalpino debemus sanguinis periodum, Borellio motum musculorum, Malpighio pulmonis, Bellino renum structuram & usum, atque aliis alia sexcenta. Verum quid postea? Si verum fateri volumus, hæc omnia certe paucissimis morbis curandis sufficiunt; & in tanta adhuc medicæ artis obscuritate versamur, ut per hos dies ille unus medicorum præstantissimus habeatur, qui medica facultate minus utitur, quique minima, aut fere nulla agris medicamenta præscribit.

Hæc autem quæ aliquanto fufius de Medicina dixi, non modo de Philosophia universa, de Juris scientia, de Theologia, aliisque clarissimis facultatibus pari ratione dicta esse volo; sed de iis quoque inferioris subsellii artibus, quæ si non dignitate, at certe amplitudine rerum, & discendi difficultate possunt cum ceteris disciplinis optime comparari. Nam si liceat quoque nobis in hoc quodammodo gloriari, quot vigilias, quot labores, quot annos demum postulat latinæ linguæ subtilior intelligentia ac stylus? Quam multa ac sedula historicorum, oratorum ac poetarum præsertim lectione nobis opus est, ut omnem verborum latinorum vim, proprietatem & elegantiam comprehendamus? Quantum eniti, & toto, ut ajunt, pectore incumbere debemus, ut ad illam veram germanamque veterum latinam, unde  
lon-

longissime recessimus, propius accedamus? Dicam libere, Auditores, id, quod sentio, quamquam fortasse multis hoc, quod dicam, paradoxum genus videri possit: ad intimam plenamque notitiam atque usum latinæ linguæ integra unius hominis ætas vix satis est. Anne dubitatis? Legite, si vultis, ea, quæ de latino sermone diligentius annotarunt Laurentius Valla, Hadrianus Cardinalis, Ant. Schorus, Obertus Gifanius, Franciscus Sylvius, Aufonius Popma, Godescalcus Stewchius, Franciscus Vavassor, Gaspar Scioppius, Jo: Vorstius, aliique viri literis & doctrinis elegantioribus clari: tum vero me, si potestis, de mendacio, aut de inani jactatione arguitote. Et tamen tam multi sunt hoc tempore, qui tantum sibi de perfecta latinitate tribuunt, ut a M. Cicerone sese haud longe abesse sibi ipsi persuadeant: quos nihilominus, nisi ego desipio, vix inter imi subfellii discipulos grammaticus ille Priscianus admitteret. Ego equidem de me illud ingenue fateor, etsi viginti fere annos in hoc Romano Gymnasio in poetis, historicis & oratoribus interpretandis operam meam, qualiscunque illa sit, collocaverim, & quotidiano prope usu latinam linguam recoluerim, adhuc tamen affirmare non ausim, me satis latine scire: cum singulis fere annis aliquid mihi novum de proprietate & elegancia latini sermonis, aut de germano sensu & intelligentia latinorum scriptorum occurrat, quod præteritorum quidem annorum studium & industriam fugerat. Hoc autem non tantum mihi ingenii mediocri homini usu venit,

sed Camerario quoque, sed Lambino, sed Lipsio, sed Manutio, aliisque summis viris contigisse videmus, qui ad locupletissimos, quos jampridem de Cicerone, de Horatio, de Cor. Tacito aliisque latinis scriptoribus ediderant commentarios, curas deinde secundas & tertias addere minime dubitaverint. Multa enim in illis evolvendis occurrunt rara, recondita, & paucitate scriptorum ejus ævi obscura: multa quoque ex non vulgatis ritibus, & vetustissimo jure repetenda, quæ diligentissimi cujusque viri acumen effugiunt. Quod si minora hæc studia sunt ejusmodi, ut plurimis annis, ac repetitis laboribus omnia vix intelligi atque explorari possint, quid demum erit de sublimioribus disciplinis cogitandum? Cui tanta vis ingenii, cui tam acre judicium, ut unico quasi haustu eas vorare, seque illis ingurgitare queat, cum præter immensam latitudinem, tantam quoque pleræque inter se habeant societatem, ut una ab altera divelli nullo modo possit? Quis enim bonus jureconsultus, qui in Græca & Romana antiquitate sit hospes? Quis in Ecclesiastica, vel in profana historia satis eruditus, qui Chronologiam & Geographiam bene cognitas & perspectas non habuerit? Quis demum in sacra Theologia satis versatus est, cui & divinarum literarum volumina & sacrorum Canonum leges & Ecclesiasticæ memoriæ annales familiares non sint? Perfecto nemo negaverit id, quod & Plato & M. Tullius uno ore affirmant, disciplinas nimirum omnes miro consensu concentuque convenire, & quodam societatis vinculo colligari. Unde illud etiam

tiam consequitur, ut nemo unam perfectam & omnibus suis numeris expletam obtinere possit, qui ad alias quoque haud minore studio industriaque non aspiraverit.

At dicet aliquis, complures sunt adolescentes peracuto ingenio, multaque intelligendi vi præditi, tum etiam divina quadam memoria instructi, qui res tam mira facilitate percipiunt, ut quicquid legerint, vel audierint, memoriter referant. Hi paucis quidem annis, nec multo labore ad summa pervenient. Ita sit sane. At poteruntne ingeniosi isti Minervæ filii ac salaputia diserta cum priscis illis sapientiæ parentibus Platone, Aristotele, M. Tullio aliisque hujus notæ præstantissimis viris solertia mentis & ingenii præstantia conferri? Fac ita esse. Videte quantum ipsis tribuo, ac plus nimio liberaliter concedo. Sint itaque cum antiquis illis memoria, ingenio, tum etiam judicio pares. Verum minorene, quam illi studio, minore industria, minore labore doctrinam sese consequi posse confidunt? O arrogantiam singularem. Quod illi sibi pertinaci tot annorum cura ac diligentia compararunt, tu adolescens mollis & delicatus, tu ludis & voluptatibus, vel etiam, si superis placeat, ventri somnoque deditus, uno vel altero biennio obtinebis? Alio sane calculo majores nostri doctrinarum studia cum propter earum præstantiam, tum propter acquirendi difficultatem æstimarunt. Septemdecim quidem annos Platoni magistro Aristoteles operam dedit. Unum & octoginta, quotquot vixit, annos Plato ipse

in studiis elaboravit. Hippocrates vero hominum vitam breviorē esse pronūciavit, quā ut omnibus iis, quæ ad artem medendi pertinent, comparandis sufficeret. Nihil dico de M. Varone, nihil de M. Tullio, nihil de utroque Plinio, nihil de Plutarcho aliisque innumeris, quos ad extremum usque vitæ spiritum in literis vixisse memoriæ proditum est. Et juvenes nostri tantum sibi ipsi tribuunt, ut per exiguo studio parvoque tempore in aliqua facultate excellere, & in ea familiam ducere sibi stultissime persuadeant? In magno sane errore versantur. Ego quidem sic existimo, homines istiusmodi opinione sui plenos nunquam veram solidamque doctrinam esse assecuturos. Cum enim opinio illa, quā de ingenio suo habent, ingentem sui fiduciam pariat, fiducia vero ista negligentiam studiorum, negligentia autem studiorum inscientiam & ignorantiam, quid tandem bonæ frugis erit ex illis expectandum? Actum est profecto de studiis hominum istorum. Actum est de egregia eorum indole ac fama. Perniciosa quidem atque exitialis ingenii sui opinio omnes industriæ nervos infringit, & præclaros ad laudem cursus intercipit. Proinde Bias ille unus ex Græciæ sapientibus ventosam istam sui opinionem vocabat maximum literarii profectus impedimentum. Cui recte illud Senecæ consonat: multi, inquit, ad doctrinam venissent, nisi ad eam se pervenisse putassent.

Quod si homines isti judicant, omnem hodie doctrinæ laudem librorum titulis & indicibus conti-



tineri; si virum apprime doctum putant eum, qui in eruditorum Lipsiensibus actis perlegendis curiosus, in amicorum coetu permulta recitat auctorum nomina, quæ quotidie ex diariis exterarum gentium ad nos deferuntur; quis non videt, quam in hoc turpiter hallucinentur? Librorum titulos & indices texere, non viri docti, sed eruditi bibliopola laus est. Profecto est aliquid altius supra scriptorum indices, quo contendere debeat is, qui inter doctos jure & merito sit recensendus. Nam aut ego fallor, aut is vere doctus dici potest, qui & perfecte loqui & si quando opus sit, graviter & ornate sententiam suam dicere possit: qui veri & falsi cognitionem habeat, qui mente coelum, maria, terras permeare, qui naturæ vim & rerum causas cognoscere, qui abs se propulsare vitia, ac mores emendare, qui privatam domum regere, & rem publicam administrare optime noverit. Hunc ego literis hunc instructum, hunc bonis artibus eruditum, unoque verbo, hunc hominem doctum esse judico. Quis autem non intelligit, ejusmodi doctrinæ laudem non ex librorum indicibus, neque ex Gallicis Batavisque diariis esse petendam, sed improbo labore diuturnoque studio, quemadmodum majores nostri fecerunt, comparandam? Sunt illa quidem, si vultis, relaxandis animis delectamenta studiorum, vel ad æstivorum dierum tædia minuenda, vel etiam ad somnum conciliandum soporifera, ut poeta inquit, papavera; non autem firma doctrinæ præsidia, neque nervi artusque sapientiæ, qui philosophum, aut theo-  
lo-

logum, aut juris scientem hominem faciant. Et quidem aliud fuit consilium, alia mens Romanorum Pontificum, hominum sapientissimorum, in hoc Romano Gymnasio ædificando, & in tot bonarum artium magistris in eo liberaliter constituendis. Voluerunt scilicet in his amplissimis sapientiæ sedibus gradatim solideque juventutem erudiri, ut eloquentiæ & Philosophiæ studiis satis instructa, vel ad medicinam, vel ad juris scientiam, vel ad sacras literas iter sibi præmuniret: quas deinde gravissimas disciplinas sapienter docta, civium saluti consuleret, fori dignitatem sustineret, aut Ecclesiæ magistratus cum laude susciperet. Et nos patiemur, memoria nostra juvenes literis leviter tinctos, non medicos, sed humani generis carnifices, non juris peritos, sed fori rabulas, non Ecclesiæ lumina, sed ignorantia maculas in publicum exire, & inanem Urbi omnium sapientissimæ doctrinæ speciem obtrudere? O impudentiam minime ferendam. O vanissimam ingenii jactantiam. Videre jam mihi videor audaciæ ejusmodi exitum perridiculum. Componant se perquam eleganter, seque transtornent, quantum volunt: illud agent nimirum, quod Æsopus fecisse Cumanum asinum narrat, qui, cum leoninam pellem induisset, quod se leonem videri cupiebat, rudere tamen aspere incepit, unde & adstantium risus, & domini baculum haud potuit effugere. Non aliter hujusmodi juvenes, qui propter immaturam scientiæ opinionem hoc sibi arrogant, ut pares doctis incedant, dum literati viri personam gerere

volunt, se publico risui ac ludibrio hominum exponunt, cum non veram solidamque doctrinam, sed larvas & simulacra sibi inesse, asinina voce satis ostendant. Sunt enim Therfitis illius Homerici similes, qui cum mortalium omnium stultissimus quidem esset, multa tamen eloqui propter vanam sapientiæ opinionem solitus erat, unde magis ejus stultitia stolidumque ingenium appareret. Pudeat itaque, pudeat barbatulos istos adeo se proferre, & ignorantiam suam tam insigniter prodere. Pudeat inter philosophos, inter jurisperitos, inter medicos intempestive enumerari velle, cum earum artium primordia vix summis labris gustaverint. Pudeat denique cum sapientissimis viris de doctrina & ingenio decertare, quorum diligentiam singularem, & omnem prope ætatem in studiis exactam non æmulantur. Multis annis multisque vigiliis nobis opus est vel ad unam optimarum artium ex omni parte assequendam & propter immensam earum amplitudinem & propter summam earum necessitudinem mutuamque conjunctionem. Ex quibus omnibus id colligo: qui paucis annis paucisque laboribus sese ad doctrinæ laudem pervenisse putant, hi, aut quæ sit doctrinæ ratio, prorsus ignorant, aut nos amentes & nullius judicii homines esse judicant.

I N S C I O L O S I .

## O R A T I O V .

*Habita xv. Kal. Novembris anno MDCCXXXV.*

**N**Ullum bellum fuit unquam tam atrox ,  
tam diuturnum, aut periculosum, in quo  
duo hostes majore vi , aut acriore contentione  
decertaverint, quam illud, ubi cum optimis di-  
sciplinis ignorantia pugnavit. Etenim vix literæ  
exortæ sunt, cum statim invidia, livor, maledi-  
centia, improbitas, aliæque nefariæ pestes, fœ-  
dere cum ignorantia firmato, in illas castra mo-  
vere, aciem dirigere, cum illis in certamen præ-  
liumque descendere non dubitarunt . Neque ex  
eo tempore fœderis ullius feriundi , nec pacis  
constituendæ spes ulla affulsit. Nam qua ratione  
feri possit, ut consilium cum temeritate, forti-  
tudo cum furore, virtus cum audacia conveniat  
pacatoque animo concilietur? Profecto quandiu  
erunt literæ, tandiu erit literis indictum para-  
tumque ab ignorantia bellum". Ex quo tamen  
tantum abest, ut quicquam mali sit ipsis literis  
metuendum, ut potius gloriæ cumulus illis quo-  
tidie major accedat. Quot enim cum ignorantia  
dimicationes, tot victorias, quot prælia, tot  
triumphos optimæ disciplinæ consequuntur. At  
vero aliud belli genus bonarum artium studiis  
pertimescendum esse video: quod quidem etsi  
primo aspectu minus periculosum esse videtur,  
re-

revera tamen gravissimum est, maximeque perniciosum: illud scilicet, quod scioli quidam, homines doctrina leviter aspersi, literis inferunt, dum literas colere, literas amare, literas in deliciis sese habere profitentur. Ex istorum enim imperitia fit, ut de dignitate literarum plurimum detrahatur, & ab eorum amentia magis, quam ab ignorantia telis liberales disciplinae metuere debeant. Hæc autem calamitas cum major in dies fiat, literarum reipublicæ maxime interesse video, ut hominum istiusmodi temeritas reprimatur, quo minus in posterum literas ipsas oppugnent. Quare veniam dabit, PP. amplissimi, si prætermittis hodierno die bonarum artium laudibus, quæ quotannis ex hoc ipso loco decantari consueverunt, illud agam potius, ut huiusmodi homines semidoctos coram vobis sistam, acriter de eorum inscitia & singulari amentia cogarguendos. Intellegitis profecto id, quod res est, ex scolorum istorum vitio plus detrimenti literas capere, quam ex summa imperitissimorum hominum ignavia. Atque una mecum statueris, sedulo Romanam juventutem esse admonendam, ut ab eiusmodi pernicie sibi caveat, hominum istorum mores & disciplinam fugiat, eorumque scientiam inanem & umbratileram, ignorantia ipsa longe deteriorem, quantum potest, aversetur. Quo consilio nihil optimis studiis conducibilius, nihil sapientissimis viris, qui me audiunt, jucundius accidere posse confido.

At in ipso dicendi limine quid ignorantia tela ad optimas artes evertendas valuerint, animadver-

dvertere operæ pretium est. Non privatos, non  
 exiguæ auctoritatis homines in medium afferam:  
 sed viros principes, summa imperii potestate,  
 auctoritate maxima, furore atque armis metuen-  
 dos, qui honestissimas disciplinas radicitus extir-  
 pare, earumque memoriam sempiterna oblivione  
 delere summa vi contenderunt. Ecce vobis C.  
 Cæsar Caligula, homo vecors & stolidus, qui  
 divina Homeri & Virgillii carmina comburere,  
 aurea T. Livii scripta funditus perdere, eorum-  
 que imagines ex bibliothecis omnibus, ubi asser-  
 vabantur, evellere conatus est. En Domitianus  
 Cæsar, celeberrimus ille muscarum auceps, qui  
 sapientiæ odio, philosophos omnes ex Urbe eje-  
 cit, totaque jussit Italia exulare. En Licinius  
 imperator, literarum sic rudis & imperitus, ut  
 ne decretis quidem manu sua subscribere posset:  
 literis omnibus adeo infestus, ut eas reipublicæ  
 pestem & venenum appellaret. Quid tandem isti  
 literarum osores atque hostes infensissimi profece-  
 runt? An de veteri illarum existimatione & gloria  
 putatis quicquam eos unquam detrudere potuisse?  
 Profecto illud unum sunt assequuti, ut acerbissi-  
 mum sibi mortalium odium conflaverint, ac sese  
 omnium ætatum exprobratione, omnium annalium  
 vituperatione dignissimos effecerint. At enim ne-  
 gari non potest, adversante fortuna, eruditos plu-  
 rimos inimicorum telis misere occubuisse, diraque  
 fati acerbitate fuisse sublato. Quot enim exilio  
 & inopia oppressi? Quot ferro miserrime truci-  
 dati? Quot denique ad illud calamitatis extre-  
 mum adacti, ut ultro sibi mortem consciscerent?

Extant quidem, extant Pierii Valeriani, Cornelii Tollii & Josephi Barberii de literatorum infelicitate volumina, quæ sexcenta testantur clarissimorum virorum funera, luctuosa quidem & acerbissima. Quid tum? Anne ex tot tantisque literarum ærumnis imminuta est aliqua ex parte dignitas literarum? An exilium, carcer, secures, aut aliud crudelitatis genus extinguere potuit divina eorum ingenii lumina, atque æterna doctrinæ monumenta? Vivit, semperque vivet immortalis ipsorum gloria, singularis sapientia & incredibilis virtus. Quare jam intelligitis, Auditores, quam parum sit optimis disciplinis ab ignorantia, ab invidia, ceterisque adversæ fortunæ calamitatibus metuendum.

Contra vero quanta labe, quanta pestis literis ex sciolis & semidoctis hominibus enascatur, quis dicendo paucis explicare possit? Ego quidem illud persuasissimum habeo, quicquid invidiæ, quicquid turpitudinis, aut maculæ in literis ab earum hostibus confingitur, aut etiam in illis (dicam enim libere quod sentio) jure reprehenditur, id totum ab sciolis istis proficisci. Sed placet ante definire, quid sint homines istiusmodi. Sunt profecto scioli genus hominum impudentissimorum, qui contracta fronte & ore duro se scire prædicant, quæ revera ignorant; aut in iis, quæ sciunt, paucis longe omnium scientissimi videri volunt: quæ scilicet in bonis artibus & doctrinis se triarios, duces & imperatores venditant, cum nihilominus vix inter gregarios milites numerari queant: homines quidem audaces,  
gar-

garruli & gloriosi, qui scientiæ, qua carent, ostentatione conantur inanem doctrinæ famam occupari; & quod deterrimum est, viros sapientia & doctrina claros aut contemnunt, aut maledictis & obtreccionibus infectantur. Fingamus ergo ex istis aliquem in gravissimorum hominum coetum, vel academiam sese intulisse. Quanta, Deus immortalis, ingenii ostentandi cupiditas? Quantum omnigenæ eruditionis affectandæ studium? Quanta demum ceteris contradicendi arrogantia? Nullus est in Græcis, vel in Latinis scriptoribus, de quo iste iudicium ferre, ac veluti prator de tribunali pronunciare non audeat. Ex quibus illum nullo fuisse ingenio, alium nulla eruditione, hunc Criticæ artis expertem esse audacissime affirmat. Quid enim Aristoteles? Stulta ejus methodus, insulsa illius doctrina, homo denique rerum omnium imperitus prædicatur, quo recentes philosophi plura inter dormiendum intellexerunt. Quid Horatius, aut Virgilius? Nihil in his sublime, nihil excelsum, sed humi reptant puerorum similes, qui primo in scholis verus facere discunt. Putatisne, Auditores, me quicquam fingere, aut rem verbis exaggerare? Nequaquam. Exemplo vobis sit Joannes ille Ciampolus, ætatis suæ sciolorum facile princeps, qui, ut in Pinacotheca virorum illustrium Janus Niccius Erythræus memoriæ prodidit, cum die quodam per urbem rheda veheretur cum Gaudenzio Paganino, viro docto & gravi, qui tum in hoc ipso Romano Gymnasio literas Græcas docebat, una cum aliis eruditis hominibus; cumque forte, ut fieri



fieri solet, sermo de Virgilio & Horatio incidisset, Ciampolus ita acriter coepit in praestantissimos illos auctores invehi, ut eos nullo ingenio homines, nulla doctrina, nullis literis fuisse diceret; imo quod ad carminis attinet inventionem, esse puerorum similes, qui primo in scholis versus componere incipiant. Quod Paganinus cum ferre non posset, stomachatus scioli audaciam immanem atque intolerandam, de rheda statim desiluit, auresque suas diris illis, ut ipse agebat, maledictis eripuit. Nec minore sane impudentia fuit sciolus alter, Belmontes Cagnolus, homo ventosissimus, qui cum Etrusco carmine cecinisset Aquilejæ urbis excidium, clarissimis illis duobus Etruscæ poesis luminibus, Francisco Petrarca & Torquato Tasso se longe superiorem prædicabat, nomenque suum inde per totum terrarum orbem sic celebratum esse sibi persuaserat, ut si literatus quispiam adveniendi sibi continuo non affurrexisset, iracundia elatus exclamaret: itane? Abbas Cagnolus eversæ Aquilejæ & tantorum carminum auctor tuam potuit notitiam effugere? Non est verisimile. Arrogantiam, aut stultitiam potius singularem sciolorum ejusmodi si non superavit, at certe æquavit Basius Juris consultus, qui, ut Saldenus auctor est, tantum sibi tribuebat, ut Alciatos, Cujacios, Hotomanos, aliosque hujusmodi præ se omnes contempneret, atque jactaret a se uno esse animadversum, quod multis jam seculis universos latuerat. Studiosus lector (en gloriosi militis oratio) hanc nostram doctrinam diligenter animo infigat, quia

et si trecentos in doctorum scriptis evolvendis pal-  
leret annos, nihil simile, ac tam solidum in hac  
materia est deprehensus. Audistis sapientiam  
hominis divinam & incredibilem? Cum Miner-  
va ipsa, puto, de justitia & jure sermonem ha-  
buit; unde omnem ceterorum anteaetate atatis  
scientiam tam longo potuit intervallo superare.  
Accipite nunc medicinæ Deum, sive Æsculapium  
alterum de coelo delapsum, Theophrastum scilicet  
Paracelsum, qui se doctrina medicos omnes  
maximis spatiis anteire putabat, imo sapientem  
medicum, præter se unum, in terris existere ne-  
minem: proinde palam affirmare non dubitavit,  
stultissimum capitis sui pilum plus scire, quam  
omnes Galeni sectatores; imo barbam suam plus  
experimentorum habere, quam omnes quotquot  
essent academiæ. O intolerandam hominis arro-  
gantiam. O stultitiam incredibilem. Adeone cir-  
culatores isti putant omnes homines usquequaque  
desipere, ut nugas suas illis se tanti vendere pos-  
se arbitrentur?

Age vero jam aliquem ingenii sui factum in  
lucem proferant. Missos faciam librorum titulos  
jactantiæ plenos & gloriosos, plerumque e Græ-  
cis fontibus exquisitos, qui magna & ampla pol-  
licentur, quos olim A. Gellius in quibusdam æ-  
tatis suæ sciolis risit. Nihil loquar de præclaris  
virorum illustrium testimoniis undique conquisi-  
tis, quæ operi præfiguntur, quo major illi digni-  
tas & auctoritas concilietur: perinde ac si ejus-  
modi elogiis fidem ullam viri sapientes & docti  
habeant. Verum ex tam magnifico augustoque

vestibulo quid tandem intus latere conjicietis ?  
 Scilicet stulti ad cribrum. Simia profecto, simia  
 est, etiam si phaleras, atque aurea insignia gerat,  
 quemadmodum veteri proverbio dicitur. Etenim  
 quid literis excultum, quid doctrina perfectum  
 ab iis expectes, quorum immatura studia factus  
 non nisi informes atque monstrosos parere possint?  
 Recordamini, quæso, Auditores, delubra illa a-  
 pud Ægyptios celeberrima, de quibus in dialogis  
 Lucianus meminit. Erant illa quidem e marmo-  
 re pario strata cum amplissima porticu, plurimis  
 columnarum ordinibus distincta, aureo laqueari  
 ornata, omnia denique auro gemmisque affabre  
 contexta collucebant, & cum majestatem, tum  
 religionem habebant. Quid vero tandem in inte-  
 riore ejus templi adyto reconditum fuisse cense-  
 tis? An Jovis, an Mercurii, an Veneris, aut  
 numinis cujuscumque alius signum? Minime vero.  
 Sed erat canis, aut simiæ calvaria, aut muris a-  
 licujus ex ossibus compago. Nolo istos sciolorum  
 libros granditate titulorum, atque elogiorum ap-  
 paratu splendidos cum inanissimis ejusmodi tem-  
 plis comparare. Vos ipsi, an recte conveniant,  
 judicatote. Ceterum nemo vestrum ignorat, quam  
 lepide, & ad rem nostram apposite Horatius in  
 sermone ad Pisones illos irrideat. Parturient, in-  
 quit, montes, nascetur ridiculus mus. Et quidem  
 sollertissimas nugæ, ut Seneca loquitur, quæ vix  
 somnianti in mentem venerint, comminiscuntur,  
 ut aliquid novum, & antea non auditum inve-  
 nisse videantur. Supervacaneum puto rem sole  
 ipso clariorem argumentis longe petitis illustra-

re . Volumina sane plurima, quorum copia in dies obruimur, hanc ipsam rem satis aperte testari possunt. Quot enim in illis insulsa, quot negligentiae & erroris plena, quot etiam omnino ridicula, quae viris doctis stomachum movent, continentur? At vero unum ex hoc genere tacere nullo modo possum: Gaspar Knittelius, literator in Germania festivissimus, librum edidit, cui titulus, regia via ad omnes artes & scientias, in quo ex primo *Aeneidos* Virgilianae versu, ille ego qui quondam gracili modulatus avena, qui ut videtis, septem dictionibus, seu vocibus constat, septem sibi argumenta suppeditari affirmat ad virtutem humilitatis celebrandam. Miramini divinum hominis ingenium? Quid, si Thraaso iste literarius in eodem libro gloriatur, nullum sibi argumentum posse proponi, de quo ipse aptam dicendi materiam capere non possit ex quocunque verbo, ex quacunque voce, aut etiam e qualibet re sibi casu oblata? En quo pervenit sciolorum audacia. Literis tanquam praestigiis abutuntur ad incautos adolescentes decipiendos, quibus nugae & gerras hujusmodi venditant. Et quisquam dubitabit, quin ex circumforanea librorum istorum vanitate infamia literis confletur, & nugatorum ejus generis vitio optimae disciplinae corrumpi atque contemni soleant?

Sed utinam praeter libros stultitiae plenos, saxi quoque ipsis & lapidibus ne haereret literarum macula. Pudet me, pudet nostrorum temporum, quoties ambulanti mihi per Urbem inscriptiones aliquae marmoribus nostrae civitatis inscul-

sculptæ in oculos incurrunt : quæ si cum iis  
 comparentur, quas olim Panvinius, Marlianus,  
 Gruterus, Fabrettus, alique plurimi Romanarum  
 antiquitatum studiosi viri ex ruderibus antiquæ  
 Urbis in volumen congesserunt, levitatem plane  
 sapiunt puerilem atque infantiam. Ea quippe est  
 sciolorum natura atque consuetudo, ut ad eas  
 res conficiendas se ipsi inferant atque intrudant,  
 suamque operam ultro venditent, in quibus ipsi  
 minus valent, magisque cæcutiunt. Quorum im-  
 pudencia fit, ut posthabita doctissimi cujusque o-  
 pera, homines lapidina digni ea lapidibus in-  
 scribant, quæ nemo antiquarius intelligat. Ex  
 quo illud sequitur, ut in summa, quæ nostræ æ-  
 tatis est, literarum dignitate & elegantia, in ur-  
 be Roma barbaries Gothica adhuc dominari vi-  
 deatur.

Quod si de scientia aliqua, si de naturali Phi-  
 losophia, de Medicina, de Geometria, aut de  
 Jurisprudencia ad scribendum aggrediantur; quot,  
 Deus immortalis, absurda, quot deliria, quot ca-  
 noras nugas, ut ait Horatius, confingunt, ut  
 doctrinæ novitate, & singulari intelligendi acu-  
 mine veteres sapientiæ magistros fatis longo in-  
 tervallo superasse videantur? Pervulgatæ quidem  
 sunt nimis quæstiones illæ de quarta parte nihi-  
 li, & de plusquam nihilo, in quibus Demonsius  
 & Bouvellius tantopere desudarunt, & ampla  
 volumina conscripserunt. Extant libri de quadra-  
 tura circuli, quam quidam ætate quoque nostra  
 somniarunt. Extant de philosophorum conflando  
 lapide innumera pene volumina, quæ nobis Cree-

si divitias & montes aureos pollicentur : quan-  
 quam tot seculorum experimento constat, artem  
 illam esse sciolorum inventum, meras fabulas, &  
 inanem mentis delirationem . Extant denique  
 commenta divinationum, quibus circulatores isti  
 ex ascitis syderum & planetarum influxibus , e-  
 ventus rerum futurarum se præfagire posse affir-  
 mant , & Arithmeticis quibusdam figuris arte  
 constructis, in errorem pertrahunt homines im-  
 peritos & credulos . Quid plura ? Typis excusa  
 fuit jampridem Strozzi Ciconiæ Vicentini phi-  
 losophi & theologi disceptatio de similitudine &  
 sympathia , quam habent cœli Potestates cum  
 Sole, Principatus cum Venere, Archangeli cum  
 Mercurio, Angeli cum Luna . Potestne stultius  
 dici, aut excogitari quicquam ? Quid , per ve-  
 stram fidem, beatissimi illi spiritus, quales Ar-  
 changeli sunt, cum Mercurii sydere, quid Ange-  
 li cum Lunari corpore commune habent ? Pos-  
 sem profecto per singulas ire disciplinas, quibus  
 isti ineptiarum venditores abutuntur ; & jamdu-  
 dum stultitiam suam mirum in modum celebra-  
 runt . At præstitit id amplissime paucis an-  
 te annis in Germania Jo: Burchardus Men-  
 kenius , homo eruditorum nemini ignotus ,  
 qui duabus declamationibus in Lipsiensi acade-  
 mia habitis, infinitam fere semidoctorum istorum  
 multitudinem veluti in scenam quamdam produ-  
 xit, eorumque de singulis deliramenta disciplinis,  
 digna sane, quæ in scena spectentur, luculenter  
 exhibuit . Utinam aliquando aulæo sublato, novi-  
 ne prodirent in scenam literarum circulatores eo-  
 dem

dem theatro dignissimi. Utinam hanc tantam maculam, & sempiternæ turpitudinis notam in Germania tantum, idque semel, præstantissimæ artes suscepissent. Sed quantum jam Italiæ dedecus, quanta clarissimæ huic Urbi ex sciolorum frequentia labes infertur, quorum vitio præstantissimæ disciplinæ veluti in theatrum & per ora vulgi turpissime traducuntur? Nolo rem invidiæ plenam ulterius persequi: nolo quemquam nominare. Quare nemo mihi, ut de se olim M. Tullius affirmabat, irasci poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri.

Jam igitur plane perspicitis, Auditores, ab sciolis istis & semidoctis plus detrimenti literis importari, quam ab iis, qui in summa literarum ignoratione versantur. Plus certe periculi metuendum ex hominibus semiebriis, quam si vino somnoque sepulti omnino sensibus destituti jaceant. Detrahat imperitus quispiam literis, quantum volet, easque conviciis & maledictis petulanter proscindat: quotus quisque erit, qui stolidi hominis clamores non aspernetur, contemnat, negligat? Quis enim cæcum audiat de coloribus judicantem? Enimvero fucata illa semidoctorum literatura, audax & prompta garriendi licentia, honestis etiam viris bene multis imponit; atque id sæpe efficit, ut optimæ artes invidiæ malevolorum, & obtreccionibus pessime subjiciantur. Maxime vero si literarum præmia, si dignitates atque honores ab insulsis ejusmodi nebulonibus, quod aliquando accidit, occupari videantur. Quæ cum ita sint, cavete, Adolescentes optimi, (vos

enim potissimum spectat hæc omnis oratio mea) cavete, inquam, nefarios istos sapientiæ proditores, cavete improbos literariæ reipublicæ hostes, doctrinæ everfores, portenta bonarum artium, busta omnium disciplinarum. Si vobis sapientia cordi est, si literas vere amatis, si literarum gloria studioque ducimini, perniciosam istam sciolorum sectam, quantum valetis, pro viribus fugite, eorumque miserrimam & inanissimam literaturam contemnite: habetis in hoc Romano Gymnasio viros sapientissimos, omni disciplinarum genere excultos: hos magistros, hos sapientiæ parentes sequimur. His ducibus expeditum vobis patebit iter ad veram solidamque doctrinam.

## IN SCIOLOS II.

## ORATIO VI.

*Habita VII. Idus Novembr. MDCCXXXVI.*

**Q**UERUNTUR multi, & nos quoque ex hoc amplissimo loco anno superiore conquesti sumus vehementerque doluimus, cum in Italia, tum in hac civitate, ingenti literarum probro, sciolorum sectam in diem magis magisque propagari. Exposuimus enim vobis quam planissime potuimus, plus detrimenti per hujusmodi sciolos, quam per summam imperitorum hominum ignorantiam bonis literis importari: neque  
ullam



ullam esse labem graviolem , aut pestem rei literariæ magis metuendam , quam fucam illam & inanem semidoctorum literaturam , unde optimæ artes invidiam subeunt incredibilem , & ad ignominiam turpiter traducuntur . Quæ omnia vos ore , vultu & admurmuratione ita comprobastis , ut nemo non intelligeret , sciolos ejusmodi nulla ratione comperendinari debere , sed statim a literaria republica procul esse amandandos . At vero cum temporis , quod dicendo præfinitum fuerat , angustia non permiserint , ut ea in medium afferrem , quæ ad infestum illud bonis artibus genus hominum prorsus exterminandum maxime faciunt ; sapientes quidam viri auctores mihi fuerunt , ut hodierno die alteram orationis partem , vel aliam potius ex integro de sciolis orationem contexerem , quo nimirum omnes intelligant , ex quonam fonte pestis illa manaverit , & quibus tandem uberibus nutriatur . Etenim ego sic existimo , nostro potissimum vitio in scholis sciolos ejusmodi pullulare , nostris manibus , nostroque sinu eosdem foveri . Quocirca si quid acrius , aut quid liberius dixero de prava studiorum ratione , quæ cum sciolis istis maxime conjuncta est , peto a vobis , PP. amplissimi , ut tantum orationi meæ hodie concedatis , quantum & veritatis amor , & literarum dignitas postulare videbuntur .

Duo sunt hominum genera , quorum vitio præfertim , quantum ego intelligo , perniciofa ista sciolorum natio alitur , & magis in dies corroboratur . Unum eorum , qui teneris adolescentium animis immodica laude plausuque blandiuntur :

al-

alterum eorum, qui ceteras, præter eam, quam ipsi profitentur, disciplinas nihili faciunt, ac veteres doctrinæ magistros tanquam mediocris, aut nullius ingenii homines parvi pendunt ac vituperant. Quocirca quantum illi inepte & imprudenter, tantum hi malitiose & improbe agere videntur, cum illi ætati magnam laudem sapientiæ non sustinenti plus æquo tribuant; isti majorem gloriæ detrahere, & quæ ipsi ceterarum artium ornamenta non sunt affecti, aliis invidere non erubescant. At vero ut de iis primum loquar, qui plus laudis, quam par est, adolescentibus tribuunt; si id faciunt, ut plausu illo juvenes excitati, tanquam generosi equi, studiorum cursum alacrius prosequantur; excusandi sunt quidem, imo & eorum industria valde commendanda: præsertim si cum imbecillis & excruciatis ingeniis agere debeant, ad quorum tarditatem incitandam maxime valet præceptoris humanitas & industria. Quod si acri mente & peracuta intelligendi vi præditi illi sint, adeo ut nullo negotio omnia penetrent, minimoque ad discendum labore utantur: errant profecto, errant, qui eosdem nimium laudando palpant, eorumque omnia sine ullo discrimine & inepte probant. Non opus est laudibus, sed novis ad laborem calcaribus, & aliquando severitate vultus, & vocis gravitate sunt castigandi, ne molliore industria otioque depravati torpescant. Sæpe enim fit, ut juvenes partim naturali levitate ducti, partim præceptorum plausu inflati, se plurimum scire putent, & doctrinæ mediocritate contenti, ultra  
pro-

progredi minime curent. Quamobrem Carneades, vir sapientissimus, affirmare solebat, divitum regumque liberos nihil magis, aut tam cito, quam equitandi artem addiscere, propterea quod literarum magistri illis adulari, & quicquid fecerint, in coelum laudibus extollere soleant. Contra vero equus, qui nihil divitem a paupere, nihil principem virum a privato discernit, quemcunque ex illis aut oscitantem, aut equitandi imperitum sentiat, respectu nullo præcipitem agit, redditque in posterum sollertiolem. Et plane, si vera fateri volumus, ita natura comparati sumus, ut unusquisque fere philautia, ut Græci loquuntur, laborare videatur. Ex quo fit, ut plerique sibi multo majora de suo ingenio tribuant, & gloriolæ suavitate titillentur. Imo plures invenias cum ætate, tum sapientia viros gravissimos, quos neque auri argentique cupiditas, neque aliqua dulcedo voluptatis, neque doloris vis, aut mortis ipsius terror de statu deicere aut commovere possit, quam quos laudis amor & vana ingenii sui fiducia non seducat atque pervertat: adeo ut quantum roboris & virtutis, ceteris animi motibus resistendo, sibi inesse palam fecerunt, tantum imbecillitatis parvique animi, inanis gloriæ præstigiis cedendo, demonstraverint. Atque hinc sæpe inter literatos magni nominis de syllaba, aut de dictione una oratæ sunt contentiones acerbissimæ ac tragædiæ, quod alter alteri ingenio cedere rem turpissimam judicaret. Quæ cum ita sint, cui mirum videatur, quod laudis plaususque amor adolescentes im-

improvidos decipiat, quibus tum ætatis, tum consilii inest maxima imbecillitas, quique in ceteris quoque rebus facile hallucinantur? Profecto laudum suarum dulcedine velati hamo decepti, se ingenio valere plurimum putant, sibi que deesse parum ad doctrinæ verticem assequendum: cum præsertim neque in literaria historia versati sint, neque animo complectantur, quam longe lateque disciplinarum amplitudo pateat, quæ singulæ integram postulant & bene longam hominis ætatem. Proinde illi quasi portum jam teneant, pristinum laborem remittunt, ac de re nulla minus, quam de studiis se sollicitos esse ostendunt. En præclaram gloriæ messem, quam inanes acclamations & plausus afferunt juventuti. Auctor est Plinius, in Africa familias hominum extitisse, qui voce & dictis fascino circumferebant: qui nimirum si forte pulchras arbores, si segetes lætiores, aut egregios equos, vel etiam infantes pulcherrimos impensius laudassent, ea statim exitiali fascinatione correpta misere interibant. Et vero hanc ipsam fascino vim laudibus quoque inesse Romani olim suspicabantur. Quod nemo sane ignoraverit, nisi qui nec Virgilium, nec Catullum, nec Ovidium, aliosque poetas unquam viderit. Hinc enim mos ille inveteravit, ut quidpiam laudaturi, vocem *præfiscine*, vel *præfiscini* adderent: qua solenni formula se quidem non fascinandi, sed laudandi animo ea loqui testarentur. Verum de hujusmodi veterum superstitione judicet, per me licet, unusquisque quod volet. Ego vero illud consuetudine usuque rerum com-

per-

pertum habeo, nobiliora adolescentium ingenia ab immodicis præceptorum suorum laudibus incredibilem calamitatem tabemque contrahere, neque ullum deinde inveniri ad eam pestem amoliendam in omni eorum vita amuletum. Etenim quid tandem est in omni disciplinarum genere subtilius, aut sublimius, quod illi vana sui opinione pleni, aut non statim, aut paucissimis horis sese addiscere posse arbitrentur? Ego quidem Romæ ex sciolis istis unum, multis præsentibus ætate ac doctrina gravissimis viris gloriantem audivi: nihil esse magis planum ac pedestre, quam Geometriæ studium; se paucis diebus, si vellet, magnum Geometram evasurum. Plaudebant adolescentis incauti dicto nonnulli, quibus Geometriæ ne prima quidem elementa cognita; viri autem docti qui aderant, puerilem ejus stultitiam vultus gravitate ac silentio castigarunt. Ex quibus nemo fuit, qui juvenis impudentiam nimiam ejus præceptoris assentationi plausibusque non tribueret. Quamobrem mirandum non est, quod veteres peritissimi instituendæ juventutis magistri, nihil diligentius curarent, quam ut insitam illi ætati garrulitatem comprimerent. Nemo vestrum ignorat, Pythagoram inter suos recepisse neminem, nisi diuturni silentii tirocinio probatum. Existimabat enim vir sapientissimus, nihil esse prius, quod discipuli docendi forent, quam tacere. Hoc autem non uno, vel altero mense fieri, sed plerunque ad quinque annos illud prorogari consuevisse A. Gellius affirmat. Ea vero severitatis lege, ut qui tacerent, audirent quidem interim quæ ab aliis dice-

ban-

bantur, sed nec illis fas esset percunctari, si quid minus intellexissent, neque scribendo excipere, aut differere quæ audierant. Ubi vero jam duas res omnium difficillimas didicissent, audire ac tacere, tum demum illis verba facere, quæque audissent conscribere, aut quæ ipsi opinarentur in medium affere licebat. In hac ipsa quoque taciturnitate Lycurgus juventutem erudiri mandavit: proinde inter saluberrimas, quibus Lacedæmoniorum rempublicam communivit, leges, haud postrema fuit, ut cives statim a pueris silentio coercerentur. Posteaquam vero adolescentes silentio satis instructi forent, tunc Arithmetica, Geometria, Musica edocebantur, ut nobilissimis hisce disciplinis præmuniti, ad naturæ pulchritudinem contemplandam paratiores accederent. Neque deinde minore studio scientiam morum, justî & injusti rationem, differendi artem & eloquentiam addiscebant. Agite nunc, conferte, si vultis, nostram cum vetere disciplina institutionem. Illi quidem silentio, longaque meditatione juventutis animos in uberrimam doctrinæ spem enutriebant: nos garrulitate argutandique exercitatione. Illi numerorum scientia ac Geometricis rationibus puerorum mentes acuere atque excitare solebant: nos & fabellis & versiculis ad graviores disciplinas præparamus. Illi demum longo maturoque studio ingenia exercebant: nos præcipiti festinatione eorum studia intercipimus, & immaturis laudibus plausuque corrumpimus. Et mirabimur ex hujusmodi scholis tot quotidie sciolos exire, & a sciolis forum, curiam, rostra, subsellia per summum

mum literarum dedecus occupari ? Ex illa tam delicata palæstra, ex importunis illis plausibus & acclamationibus quid aliud erat expectandum, nisi juventutis arrogantia, intolerabilis animi tumor, miserumque naufragium ?

Venio nunc ad illos, quod erat alterum, qui & veterum doctrinæ parentum, & disciplinarum fere omnium, præter eam, quam ipsi profitentur, contemptu, in sciolos augendos non minus operæ conferunt, quam qui eos festinatis plausibus fovent. Cum superiore ætate sapientes quidam viri summa cum laude absterferint ea, quæ in Aristotelis philosophiam, aut barbarorum vitio irreperant, aut cum recentibus naturæ experimentis minime convenire videbantur, factum est, ut quasi perfractis philosophiæ repagulis, maxima sese effuderit philosophandi libertas ; paucisque annis tot nova prodierint philosophorum cogitata, ut novitio cuique professori turpe videatur vestigia antiquorum premere, explosisque aliorum sententiis, nova non meditari. Hoc autem tanto veterum philosophorum contemptu fit, ut ipsi Philosophiæ parentes & quasi numina, Plato & Aristoteles, quos omnis antiquitas tantopere suspexit, & in cælum laudibus immortalibus extulit, jam tanquam homines natura stupidi, bardique per ora juvenulorum impudentissime traducantur. Qua quidem contumelia quid gravius, aut quid iniquius dici, aut excogitari possit, non video. Nam quis æquo animo ferat, Philosophiam in Platonis schola natam atque educatam, quæ tot ætates in universis fere totius orbis

academiis una regnavit, quam sapientissimi viri summo studio coluerunt, modo a barbatulis istis reprehendi, quasi nihil solidi, nihil bonæ frugis continentem? Cui stomachum id non moveat, imperitos adolescentes audere homini tam petulanter obstrepere, quo M. Tullius neminem doctiorem, & in rebus vel inveniendis, vel judicandis neminem acriorem fuisse affirmavit? Nullus autem non videt, hunc sciolorum fastum & supercilium a præceptoribus istis originem ducere, qui venerabiles illos sapientiæ proceres parvi faciunt, ac sæpe etiam eosdem voce scriptoque vituperant. At dicet aliquis, tu ergo nobis id vitio vertis, quod & Galilæum & Cartesium & Nevvtonum aliosque summos philosophos, germanos naturæ interpretes, Aristoteli præferamus, cujus philosophia propter nimiam profecto obscuritatem, & quæstiones quasdam leves ab omnibus jam fere deserta scholis exulavit? Ego equidem in ea sententia nunquam fui, ut in optimis quibusque disciplinis assequendis aliquo partium studio teneamur. Placuit mihi semper illud Aristotelis ipsius dictum, amicus Plato, amicus Socrates, sed magis ipsa veritas. Etenim si in physicis, aut metaphysicis rebus illustrandis, si in coelestium motuum doctrina explicanda, Aristoteli ipsi aliisque ejus ætatis philosophis, Cartesius, Nevvtonus ceterique hujus temporis sapientes viri perspicuitate & inventis præstiterunt, auctor ego sum, ut hos sequamur, hos complectamur, hosque in sinu oculisque feramus. Quod autem reprehendendum & nullo modo ferendum esse



puto, illud profecto est, quod antiquorum doctrina, qualiscunque demum ea sit, cujus quidem fundamentis exadificatum est quicquid boni ac præclari recentiores philosophi nobis tradiderunt, levitatis & infantia temere condemnetur. Hoc mihi semper cum iniquum, tum indignum visum est de majoribus nostris iudicium: cum præsertim de illis persæpe ita iudicent, qui eorum volumina neque legerint unquam, neque viderint. Ex huiusmodi autem de veterum sapientia contemptu oritur sane juvenum nostrorum is tumor & arrogantia, ut præ illis se magis sapere arbitrentur, & ipsi quoque magistrorum more jam Cartesium, jam Nevvtonum, quorum doctrinam vix primoribus labris gustarunt, in centumvirale iudicium vocare non dubitent. O impudentiam singularem. Itane? Vix auditis Dialecticæ elementis, vix Physicorum limine salutato, summis philosophis diem dicere, ac de rebus difficillimis, nec satis sibi cognitis iniquissimum iudicium pronunciare? Iudicent potius barbatuli juvenes de cincinnis, de choreis, de ludis, de conviviis, aliisque egregiis huius generis studiis: in his profecto cati isti & peracuti ingenium suum, & bonum, ut ipsi vocant, gustum satis probare poterant.

At vero quid de illis dicam, qui præter eam, quam ipsi profitentur disciplinam, nullam aliam non inutilem & otiosam prædicant? Neminem isti virum doctum existimant, si ea doctrina careat, quam ipsi colunt, quamque veluti unum corpus ex ceteris disciplinis tanquam membris

compositum sic putant, ut ab iis, qui unam illam assecuti fuerint, nihil amplius sit ex omni doctrinæ genere exoptandum. Non loquar de iis, qui omnes artes omnesque disciplinas ex uno sacrarum literarum codice proficisci voluerunt. Nemini vestrum latere arbitror, quot pugnas inter eruditos haud multos ab hinc annos excitaverit liber, cui titulus *Pansophia Mosaica*, cujus auctor in ipso divino codice omnem scientiam, omnemque doctrinam amplissime contineri contendebat. Ego quidem hætenus vidi neminem, qui ex uno divinorum librorum studio Arithmeticus, aut Geometra, aut Astronomus vel mediocriter evaserit. Nullus autem dubito, quin ad sacrarum literarum studium homines accedere debeant præclaris hujus generis disciplinis, bene instructi, si quæ de Arca Noe, de Babelica turri, de Salomonis templo, de annis solaribus & lunaribus Hebræorum in sacro codice narrantur, ea penitus intelligere velint. Hinc præter Origenem, qui ut Eusebius memoriæ prodidit, in Arithmetiis & Geometricis eos mature exercebat, quos sacris literis initiare cupiebat, sapientissimi quoque ac sanctissimi viri Hieronymus & Augustinus numerorum ac siderum scientiam ad sacra volumina intelligenda quam maxime necessariam esse judicarunt. Atque hinc nuper summo labore & singulari doctrina doctissimorum virorum du Hamel, Huetii, Lamy, du Pin aliorumque in lucem prodire præfationes ac Bibliici apparatus, unde in ipso sacrarum librorum studio duces haberemus ac præcursores. Quare non

video, quo pacto ceteræ disciplinæ ab ipso divino codice peti possint, si ad absolutam ejus intelligentiam accuratior disciplinarum earundem scientia antea requiratur. Docent nos profecto sacræ literæ ea omnia, quæ ad religionem, ad pietatem moresque Christiano homine dignos pertinent: non philosophum, non mathematicum, non oratorem instituunt; quanquam in illis omnem scientiam & doctrinam inesse, nemo sapiens negaverit. Sed nimis multa de controversia, quæ ad nos minime pertinet. Illud jam quæro, an in toto illo humanarum disciplinarum orbe, quem Græci Encyclopædiam vocant, ulla sit, quæ aliarum omnium quasi domina ceteras imperio suo ita subjiciat, ut qui tandem eam possident, cunctarum doctrinarum opibus aucti esse videantur. Meminit quidem Cicero de L. Crasso, qui omne artium & disciplinarum genus unius cognitione juris contineri, & quidem uno duodecim Tabularum libello, existimabat. Neque id sane mirari possum, cum quidam ludi magister, ætatis nostræ sciolus, contenderet, scientiam omnem una Alvari Grammatica comprehendere. At vero hac tempestate homines quidam forenses illud habent sibi persuasissimum, ex una juris scientia hominem in omni disciplinarum genere fieri posse perquam doctum & sapientem. Hos ego profecto veterum Sinensium quam simillimos esse dixerim, qui orbem terræ universum imperii sui limitibus esse conclusum, neque extra Sinas gentem ullam uspiam consistere arbitrabantur. Ex quo illud sequitur, ut ejusmodi homines

quicquid operæ & laboris in aliis, præter ipsam juris scientiam, disciplinis comparandis impenditur, inanem temporis jacturam atatisque dispendium putent. Quod si forte aut aliquod M. Tulli volumen, aut Cæsaris commentarios, aut latinum poetam in studiosi alicujus juvenis manibus videant, de illo pessime judicant, & in foro nihil illum profecturum esse male ominantur. Putant nimirum scientiam juris esse opibus suis satis instructam, nec alienis literarum egere ornamentis: idcirco adolescentes Grammaticæ & Dialecticæ studiis, quantulumcunque id sit, eruditos, magnos posse facere in jurisprudentia progressus. Stulti igitur Alciati, stulti Duareni, stulti Goveani, stulti Augustini, totque alii in jure clarissimi viri, quibus tamen illi, recte quidem & merito, magistris gloriantur: qui cum id minus intelligerent, præter doctrinam juris, alia quoque disciplinarum studia impensissime coluerunt. At vero M. Tullius, cui summam universi juris scientiam nemo unquam sanæ mentis negavit, luculenter affirmat: non ex edicto Prætoris, nec ex duodecim Tabulis, sed penitus ex intima Philosophia juris artem esse hauriendam. Igitur tantum abest, ut Philosophiam ceterasque disciplinas doctrina juris in se una complectatur, ut ipsa potius Philosophia, tanquam facunda bonarum artium parens, in suo sinu ipsum jus civile alere atque educare videatur. Verum asciscant ad juris studia, quotquot volunt, adolescentes rudes, indoctos, imperitos & bonis literis minime excultos. Nonne vident homines insulsi,

hac

hac ratione se rabulis amplum iter ad forum recludere, legumque dignitatem, quam ipsi extollere maxime cupiunt, miserum in modum minuire atque deprimere? Nam nisi ad forum accedant, qui non modo ingenio præditi, sed literis quoque & disciplinis perpoliti, doctrinam juris elegantia sermonis & eloquentia scienter pertractare queant, quid aliud erit ab hujusmodi hominibus expectandum, præter gerras & male confutos centones? Neque enim, ut opportune M. Tullius ait, castitatem orationis & optimas disciplinas homines in foro discere, sed docti in forum venire debent. Quid vero (te ipsum testem, M. Tulli, appello) quid inquam, si adolescentibus hoc tempore, præter aliquam juris notitiam, in forum non afferant, nisi contemptum & ignorantiam literarum? Quo tandem evadet vetus illa Romani fori gloria, quæ te totque aliis tui similibus gravissimas causas perorantibus, usque ad ultimas terras pervagata est? Enimvero apud hos minimum valeant & Romani fori dignitas & doctrinæ splendor: sed jam quæro ab ipsis quonam pacto perdifficiles quosdam juris nodos expedire, & vim legum illarum percipere poterunt, quæ ab intima latinæ linguæ cognitione, quæ a ritibus & institutis Pop. Rom. maxime pendent, si literarum rudes, si jejuni & imperiti ad ipsam juris scientiam accedant? Et revera plurimas quidem magnique momenti leges ob eruditionis ejusmodi inopiam a multis magni nominis jureconsultis perperam intellectas fuisse ostendunt Pancirollus, Gentilis, Heineccius, Noodt aliique clari-

riffimi viri de Romano jure optime meriti . Atque hinc satis apposite Justinianus Cæsar jus Romanum cum pelago procellis scopulisque infesto comparavit , quod scilicet nautæ peritiam industriamque singularem exquirat . Continet illud plane multa verbis ac sententiis obscura , continet res varias & alicubi etiam sibi adversantes , quæ ingenium promptum , literis exercitatum , tum etiam eorum temporum rerumque peritissimum postulant . Proinde jaceret adhuc in tenebris , neque in illud gloriæ fastigium , in quo nunc est , evasisset juris scientia , nisi literarum lumen & disciplinarum notitia accessisset , qua illam primo illustrarunt ex Italis Alciatus , Decianus , Menochius , Pancirollus , deinde ex Hispanis Ant. Augustinus , Covarruvias , Goveanus , Pinellus , ex Gallis Budæus , Cujacius , Duarenus , Tiracquellus , Contius , Hotomanus , Balduinus , Brissonius , ex Germanis Zazius , Sicardus , Vigilius , aliique plurimi , qui non tantum ingenii acumen & par ingenio judicium , sed elegantiam quoque latinitatis literarumque Græcarum scientiam ad illud ex omni parte exornandum attulerunt . Quorum volumina summo ingenio exquisitaque doctrina elucubrata , cum omnium oculis pateant , nonne satis nobis argumento sunt , pleniori perfectæque juris scientiæ elegantiores literas & disciplinas fundos fieri oportere ? Et erit quisquam tam audax , atque ore tam duro , qui hoc tempore studiosæ juris juventuti bonas literas inutiles esse , imo etiam , si superis placet , perniciosas affirmet ? O præposteram nostrorum temporum



fuerint Leonis X. in omni vitæ genere egregiæ  
 admirandæque virtutes. Profecto satis superque  
 omnium gentium literis ac prædicatione commen-  
 datur singularis illius sapientia, incredibilis animi  
 fortitudo atque constantia, summa denique pietas  
 & religio: quibus virtutibus tanquam gradibus in  
 ipso ætatis flore ad summum Pontificatus apicem  
 non tam ascendit, quam advolavit. In ea vero  
 celsissima & cælo proxima sede dignitatis, qua  
 major in terris dari non potest, quot labores im-  
 pigre susceperit, quot quantasque res præclarissi-  
 me gesserit, sive ad tuendam, sive ad amplifi-  
 candam Ecclesiæ dignitatem, ille unus fortasse  
 ignoraverit, qui ejus memoriæ celeberrimæ anna-  
 les neque viderit unquam, nec fando audierit.  
 Quamobrem ne putetis, me hodierno die teme-  
 ritate quadam velle in immensum hoc mare in-  
 gredi, ut inde nonnisi difficillime evadere atque  
 enatare possit oratio. Deest profecto mihi tanta  
 dicendi vis & eloquentiæ copia: deest amplitu-  
 dini rerum ejusmodi pro dignitate dicendarum  
 opportuni temporis ratio. Prætermittis itaque iis,  
 quæ vos sæpe alias tum a me, tum ab aliis elo-  
 quentissimis viris de Leone X. ex hoc ipso loco  
 audivistis, id unum spectabit oratio mea, quod  
 annuam hujus diei celebritatem unice spectare vi-  
 detur, perrarum scilicet & singulare ipsius Leo-  
 nis erga literas & literatos studium & volunta-  
 tem. Etenim hac una virtute, ceteris omnibus  
 missis, sapientissimus Pontifex de hac nostra stu-  
 diorum Universitate, de Pop. Romano ac de om-  
 ni posterorum memoria sic est optime meritus,  
 ut



ut licet grata quotannis ejus beneficentiæ recordatio apud nos renovetur, nunquam tamen satis, nunquam pari cum ejus meritis laude possit prædicari.

Multi sane extiterunt in omni memoria principes viri, maximique reges, qui erga homines doctos ac literatos se admodum propensos, tum etiam magnopere liberales præstiterunt, qui tamen imperiti literarum erant, atque omnis doctrinæ expertes. Habuit nuper magnum Gallia regem Ludovicum XIV. literatorum quidem omnium amantissimum, & supra quam dici potest, beneficentissimum, qui nihilominus nullis literis ac doctrinis excultus fuisse dicitur. Neque id mirum vobis, PP. amplissimi, videri potest, qui optime nostis, quot labores, quot vigilias, quot denique gravissimas animi curas sibi doctrinarum studia deposcant. Omittendæ sunt, dicere solebat M. Tullius, voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, jocus, convivium ac sermo pene familiarium omnium deserendus. Cum autem cuncti fere principes in auro & purpura molliter educati sint, mirandum plane non est, si vitæ genus asperrimum quod a studio perpetuo literarum disjungi non potest, aversentur; literatos tamen, tanquam singulare ac prope divinum genus hominum, amore prosequantur ac foveant: quod nimirum intelligunt, eorum doctrina reipublicæ salutem, leges ac jura civitatum, bona denique ac fortunas populorum conservari; imo & nominis sui immortalitatem & decus ad posteritatem & memoriam temporum propagandum, eorum in-

ge-

genio ac literarum monumentis magna ex parte plerunque niti, optime norunt. Non ita vero Joannes Medices. Non ille literatos tantum viros, sed literas quoque amavit plurimum matureque coluit. Quanquam enim in ea fuisset amplissima ac prope regia domo natus, quæ summo splendore atque opibus inter ceteras emineret, nunquam tamen otio ac deliciis molliri potuit: nunquam inanibus puerorum oblectamentis, nunquam equorum, quadrigarum aliisque, quas nostri vocant equestres, exercitationibus se dedit: imo nec ferventioris ætatis cupiditatibus, quæ juventutem cum a literarum studiis, tum ab omni honestate abducere solent, unquam se abripi passus est: sed recto illo, tametsi difficili ac selesbroso, ad virtutem itinere sibi proposito, se totum ab ineunte ætate literis tradere, nullis nisi literatis hominibus uti, cum iis sua communicare studia, eorumque judicium exquirere solemne habuit. Recitetur hic Angeli Politiani viri doctissimi gravissimum testimonium: qui ad Innocentium VIII. P. M. de Joanne scribens, hæc de illo conceptis verbis testatus est: ita natus & factus hic est, ita altus & educatus, ita denique eruditus atque institutus, ut nemini secundus ingenio, nec æqualibus industria, nec præceptoribus literatura, nec senibus gravitate concefferit. Hæc Politianus. Quid autem per vestram fidem non dico de impubere, aut de homine adolescente, sed de viro jam annorum maturitate consilioque confirmato gravius dici, aut laude magis dignum excogitari unquam potest?

Neque vero Joannes Medices literis & doctrinis mediocriter informari, ac dicis causa de illis instrui, quod nobiles ac primarii adolescentes plerique faciunt, contentus fuit. Sed postquam fatis in poeticis, ac rhetoricis studiis profecit, postquam tum Græcorum, tum Romanorum diligenter historias evoluit, postquam denique multiplices philosophorum sectas, origines, ætates dogmata accurate comperta habuit, tum ad Civilis & Pontificii juris scientiam addiscendam Pisas profectus est. Verum quonam tempore Joannem id fecisse putatis? Non ille sane privatus erat cum id consilii cepit, sed cum jam in maximam hominum celebritate positus, ab Innoc. VIII. Pont. Max. amplissimus R. E. Cardinalis fuerat renunciatus. O singularem sciendi cupiditatem. O rem portenti similem, videre Cardinalem præclarissimum, nobilitate, opibus atque ætate florentem, patria charissima, civibus, ac magnificentissima domo relictis, in Pisanam Academiam commigrare, ut in ea juris interpretes audiret, seque eorum disciplinæ erudiendum quasi rudem discipulum daret. Quis hac nostra tempestate, non dico Romanæ purpuræ splendore auctus ornatusque, sed magistratu aliquo vel inferiore in Urbe cohonestatus, exire domo & ad hanc studiorum Universitatem doctrinæ causa accedere a dignitate sua non abhorrens & alienum esse putaret? Expectant hodie ad multam diem in vestibulo ædium civilis juris magistri nobiles adolescentes, dum illi hesternam crapulam edormiant, ac tandem somniculosi & osci-

tan-

tantes ad juris lectiones audiendas descendant. Pudeat delicatulos istos, pudeat, cum audiant Joannem Medicen, Florentinæ principem juventutis clarissimumque Cardinalem, in Pisana Academia jurisprudentiæ operam dantem, nemini studio, labore ac diligentia concedere. Quid itaque miramur, quod ille postea Pontifex maximus, ætate etiam tunc florens, renunciatus, totus ad optimas disciplinas augendas & amplificandas incumberet, qui adhuc adolescens cives suos, parentes, vitæ commoda ac ipsam fere dicam Romanam Purpuram doctrinæ studiis devovere non dubitaverit?

At vero, dicet quispiam, alii plurimi fuerunt principes regesque clarissimi, qui ab ineunte ætate sese literis dare, easque ad extremum usque spiritum in deliciis habere consueverunt. Alphonsum quidem Hispaniæ regem, ut innumeri alii prætermittantur, proditum est memoriæ, solitum fuisse dicere, se malle privatim vivere, quam eruditione carere. Quam vocem superiore seculo æmulari sane visus est Franciscus Maria postremus Urbini dux, cum diceret, se Urbino potius ejusque ditione, quam literarum studiis abdicaturum. Ego equidem non repugno, neque nescius sum, in omni fere ætate extitisse viros non minus doctrina, quam dignitate præstantes. Illud tamen contendo, ex iis plurimos fuisse, qui multum quidem erga literas, nullum vero erga literatos homines studium nullamque propensionem declaraverint. Sive enim non ea essent a natura liberalitate donati, ut bonas literas & qui easdem  
pro-

profitebantur, pluris æstimarent, quam pecuniam; sive illi philautia tantopere laborarent, ut ceteros omnes præ se nihili facerent; sive alienæ doctrinæ gloria nomen suum obrui, sibi que de fama ac dignitate ex aliorum ingenio detrahi putarent: illud certum est, limis oculis homines literatos aspexisse, atque illos nullis præmiis, nullis honoribus nulloque beneficio exornasse. Imo, quod incredibile plane videtur, animo a literatis ipsis profus alieno atque infesto eos palam fuisset, loquuntur historiæ. Profecto narrat Dio, Hadrianum Cæsarem studiorum suorum & bonarum artium æmulos, quos æquare non poterat, interfecisse, quippe qui literis, optimis artibus, & disciplinis unus omnes anteire vellet. Sed vetustioribus illis & immanitate barbaris exemplis prætermisissis, possem hic multa minimeque obscura recentioris ætatis in medium afferre, quæ id fatis ostendant. Sed cum de principibus viris sermo sit, de quibus, aut bene tanquam de Diis, aut nihil omnino esse loquendum sapientes affirmant, idcirco plura non addam: cum præferim apud vos dicam, quos tum in vetere, tum in recentiore temporum historia maxime versatos esse non dubito. Huc accedit, quod Leonis X. virtus alienæ vituperationis non indiget, quo ceteris altius assurgat, utque ipse unus inter omnes emineat. Et sane dubitari non potest, quin ille tantum literatos amaverit, quantum & literas, amore videlicet singulari, summo ac prope incredibile. Pleni sunt eorum temporum annales, plenæ sunt historiæ, quæ effusissimam & quasi

im-

immensam erga illos beneficentiam Leonis testantur. Nolo equidem tempore ac patientia vestra abuti, recensendo numerum fere infinitum eorum, quos ille doctrinæ causa beneficiis affectit, præmiis auxit, fortunis opibusque cumulavit. Unum hoc verissime dicam : quotquot Romæ, quotquot in universa Italia, in Germania, in Græcia aliisque provinciis remotioribus extitere aliquis ingenii poetæ, oratores, philosophi, mathematici, aut alius doctrinæ cultores, omnes in Leone X. parentem amantissimum ac meccœnatem beneficentissimum reperiabant. Tantus proinde factus est ad Urbem virorum doctissimorum concursus, ut florentissima olim Athenarum urbs rediviva Romam commigrasse, aut certe aureum Augusti Cæsaris seculum Leonis tempore revocatum videretur.

At vero qualis quantaque fuerit munificentissimi Pontificis tum in literas, tum in literatos beneficentia & charitas, non ex iis tantum conjici debet, quæ ille brevi annorum, quibus vixit, curriculo, liberalissime fecit. Enimvero ad omnem ætatem omnemque posterorum memoriam longe lateque productam voluit hanc animi sui erga literas earumque amatores beneficentissimam voluntatem. Dubitatisne aliud illi tunc fuisse consilium ac providentissimam deliberationem, cum hoc Romanum Gymnasium a fundamentis excitare, in eoque clarissimos disciplinarum omnium præceptores perpetuum stabilire constituit? Non alia profecto illi fuit mens, non alia voluntas, nisi ut Romæ bonarum artium arcem munificenti-

tissimam collocaret , in qua sempiternam atque tranquillam haberent honestissimæ disciplinæ stationem . In hoc nimirum Sapientiæ domicilio viros primi ordinis Theologos , eruditissimos Juris utriusque doctores , Philosophiæ , Geometriæ , ac linguarum omnium peritissimos magistros , publico civitatis sumptu ali perpetuo voluit , ut ipse nullo unquam tempore de ingenuis disciplinis doctisque viris optime mereri desineret . Prospexit utique vir acutissimus , misera quidem & luctuosa aliquando ventura tempora , in quibus literæ barbarorum incursione , aut domestica inimicorum conspiratione ad supremum quasi interitum vergerent . Proinde firmam illis perpetuoque duraturam in Urbe omnium principe stabilivit sedem : quam duplici Apostolica sanctione ita firmavit , ut eam nulla temporum calamitas , nulla improborum hominum vis , aut scelerata conjuratio convelleret . O Pontificem sapientissimum . O parentem literarum & literatorum omnium amantissimum , sempiterna memoria dignum . Quas tibi ego gratias hodierno die , Leo Pontifex Maxime , Academiæ hujus universæ nomine agere potero , quæ quidem meritis ac virtutibus tuis impares omnino non sint . Utinam mihi esset tanta vis ingenii ac tanta dicendi facultas , ut rarum , maximum & incredibile tuum erga literas & literatos amorem vivis eloquentiæ coloribus si non exprimere , at saltem adumbrare potuissem . Utinam magnitudinem beneficiorum tuorum , quibus non modo de tuis temporibus , sed de omni quoque posterorum memoria

ria bene mereri voluisti, data mihi fuisset satis explicandi copia. Quod vero neque unius hominis vox, neque exiguum semihoræ tempus ad dicendum mihi constitutum, semel satis præstare possunt, id tibi Academia hæc nostra ad gratam & immortalem nominis tui commendationem quotannis præstat, perpetuoque præstabit.



Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO



D E

OPTIMIS ARTIBUS  
NOBILI JUVENTUTI  
NECESSARIIS  
ORATIO VIII.

*Habita VII. Kal. Decemb. MDCCXL.*

*Sanctissimo Domino Nostro*

BENEDICTO XIV.  
PONT. OPT. MAX.

Paulinus a S. Josepho.

**A**RDUUM hoc & morosum orationis genus  
nunquam fortasse suscepissem, BENEDICTE  
Pont. Max., nisi sapientia tua singularis mi-  
hi animum stimulosque addidisset. Cum enim  
omnis fere nobilitas hoc tempore bonarum lite-  
rarum parum cupida esse videatur, quæ nihil  
Tom. II. G omi-

omnius ad illam potissime pertinent, quæque  
 olim fuere summis regibus in amore atque de-  
 liciis; rem invidiæ plenam esse videbam, in  
 nobilissima civitate de iis studiis verba facere,  
 quæ tam parvam a nobilitate ipsa gratiam in-  
 rent. Postquam vero ad te divinitus delata  
 fuit rerum cum humanarum, tum divinarum  
 potestas, tam iniqua optimis disciplinis fortu-  
 na, si non omnino immutari, at saltem longe  
 melior fieri visa est. Quis enim antea vitæ  
 tuæ cursum paulo attentius inspexerit, qui non  
 videat, te ab ineunte ætate & in omni vitæ  
 genere, cum summa nobilitate doctrinam & exi-  
 mia cum doctrina virtutem mirum in modum  
 conjunxisse? Atque hinc optimæ artes in spem  
 venerunt pristinae dignitatis suæ recipiendæ;  
 ut posthac scilicet non humiles tantum lares in-  
 colere, aut in religiosorum hominum septis sese  
 abdere sibi tribuatur, sed in patriciis quoque  
 tectis sedem ac domicilium habere. Nemo quip-  
 pe ignorat, ad exemplum principis, totum, ut  
 ille ait, orbem componi. Hinc ego quoque tam  
 magno provocatus exemplo, eam dicendi pro-  
 vinciam sum aggressus, quæ non omnibus for-  
 tasse temporibus probaretur. Dixi enim de li-  
 teris & doctrinis nobili juventuti maxime ne-  
 cessariis: quæ quidem necessitas tum longe ma-  
 jor esse solet, cum princeps literis sapientiaque  
 præditus, eos supra ceteros ornat atque auget,  
 qui non minus doctrina, quam nobilitate gene-  
 ris commendantur. Dicenti autem mihi, non  
 modo ii, qui multa frequentia & ex omni or-  
 di-

dine aderant sapientissimi viri, summa voluntate assenserunt, sed ipsi quoque magnæ Gymnasii aulae parietes plaudere & exultare quodammodo videbantur, dum audirent laudibus te nomenque tuum celebrari. Quid enim tecta ipsa ad ejus Pontificis Maximi nomen non exultarent, quem tot annos in eodem amplissimo loco vel juris candidatis lauream impertientem, vel rectoris munere sapientissime fungentem viderant; & a quo uno, id quod omnium diu maxime erat in votis, se in veterem splendorem restitutum iri confidunt? Haud miraberis itaque, BEATISSIME PATER, si, quæ a sapientia tua oratio vim prope omnem ac decus accepit, immortalis quoque nomini tuo inscribatur. Quamquam enim revera tantæ dignitati sit impar, & amplitudo tamen loci, in quo habitata est, & ipsa argumenti conditio, in se aliquid habere videntur, quod sufficiat quicquid in ea ornatus, aut eloquentiæ desideratur. Huc accedit humanitas tua incredibilis, qua oratorem sæpe alias in eodem Gymnasio coram te, ac jussu tuo, dicentem complexus es, cui sane nihil antiquius, quam acceptorum beneficiorum memoriam testari sempiternam.

**I**N maximis bonarum artium commodis, quibus respublica cumulatur, illud mihi singulare videbatur, quod hominibus tenui fortuna & ignobili genere natis, luculentum illæ patrimonium fierent, eosque ab obscuro, in quo versabantur, loco in publicam lucem ac dignitatem producerent. Cogitanti enim mihi tum vetera, tum recentiora historiarum monumenta, occurrebat Pythagoras ille inter philosophos celebratissimus, sculptoris tamen filius: occurrebat alterum sapientiæ lumen Socrates, matre obstetrice, patre marmorario in lucem editus. Quid vero Græcorum princeps oratorum Demosthenes, ut innumeros alios præteream, quem in humili sordidaque fabri officina natum accepimus? Ex superiore autem memoria recordabar & Dominicum Tuscanum & Silvium Antonianum & Arnaldum Ossatum, amplissimos Cardinales, qui nulla licet sanguinis claritate, nullis majorum imaginibus præfulgerent, doctrinæ tamen præsidio & ingenii commendatione ad maximæ dignitatis fastigium regali proximum evasissent. Quamobrem singularem Dei Opt. Max. providentiam satis admirari non poteram, quod de bonis suis ita bene ac sapienter constituisset, ut alii quidem generis splendorem, illustrium majorum gloriam, opes fortunasque optinerent, alii vero ingenium & literas, quibus fortunam sibi pariter dignitatemque compararent. Itaque existimabam, nobiliores adolescentes literarum studiis, quo beate vivant, nullo pacto indigere: sed literas, quasi hæreditatem suo sibi jure adendum, esse pauperibus derelictas, qui ad laborem

rem industriamque nati sunt. At vero contra quam putaveram, rem se habere, tandem animadverti. Intellexi enim, optimas disciplinas multo magis iis, qui amplitudine generis ac nobilitate ceteris antecellunt, necessarias esse, quam illis qui obscuro loco, aut mediocri fortuna nascuntur. Hoc autem si tam perspicuum omnibus foret, quam certum revera est, nequaquam hodie complures invenirentur nobili genere juvenes, qui literarum studia, aut omnino negligenter, aut ea remisse & oscitanter excolerent. Quare nihil me factorum putavi auspicandis nobilissimis studiis opportunius, nihil ad amplitudinem hujus loci accommodatius, quam si hodierno die in hac tanta sapientissimorum hominum frequentia statuerem, utrum tandem nobilitati præ ceteris ad honestissimas disciplinas incumbere necesse sit. Cui sententiæ si auctoritas vestra judiciumque, quemadmodum spero, accesserit, non vereor, ne quotquot hic adsunt clarissimi adolescentes, rationem habeant dignitatis suæ, atque ipsi præter ceteros bonarum artium studia diligentissime complectantur.

Verum nemo sit, qui suspicetur, me cuiquam vel infimi generis interclusum velle doctrinæ auditum, qui optimo cuique ingenio semper patuit, Injuriosum quidem in naturam, rerum parentem, foret, sapientiæ laudem iis præripere, quos ipsa celeri ingenio, memoria firma ac summa discendi facilitate sic donavit, ut eos ad optima studia penitus effinxisse videatur. Illud tamen affirmo, ejusmodi homines nullam generi suo in-

juriam, nullam reipublicæ contumeliam esse facturos, si rejectis studiis literarum, alio mentem animumque convertant. Quis enim eos jure reprehendat, si ad picturam, vel ad statuariam, vel ad sculpturam, vel ad aliam ex iis, quas mechanicas vocant, artibus sese dederint, & in ipsis scite excolendis ingenium suum industriamque probaverint? Laudandi profecto sunt, si ingenuas disciplinas amplectantur, atque in illis progressus faciant maximos & admirandos. At minime vituperandi sunt, quod repudiatis hujusmodi studiis, ad quæstuosas potius artes omnem conatum suum ingeniumque adhibeant. Verum non eadem ratio, non eadem plane nobilitatis conditio est. Repugnat omnino, & a nobili viro profus abhorret, sese mechanicis & sellulariis artibus immiscere, quibus tenues homines se tuentur atque sustentant. Quod quidem adeo a veteri memoria communi gentium consuetudine institutoque majorum receptum fuit, ut Herodotus historiæ parens affirmet, apud omnes fere nationes eos ignobiles haberi, qui artificia discunt. Porro autem nobiles juvenes, præter optimas disciplinas, non habent quicquam præstantius, in quo honestius & cum laude vitam traducere queant. Hæc nimirum studia ingenuo ac liberali viro digna sunt. Hæc revera principes viros, ut Plutarchus ait, maximosque reges exornant.

Sed literas, dicit quispiam, esse vera ac pulcherrima nobilitatis ornamenta, nemo unquam sanæ mentis negavit. At vero quæ tanta earum necessitas cum nobilitate ipsa intercedit? Magna

pro-

profecto, si tum privata, tum publica nobilitatis ejusdem ratio paulo diligentius attenditur. Quis enim adeo rudis, adeo rerum omnium imperitus, ut ignoret, nobilium animos magis quam ceterorum in præcipites motus abripi solere & in effrænatiores cupiditates? Sive enim sit opulentia & luxus paternæ domus, sive multa clientum assiduitas & frequentia, multa amicorum procerumque officia, seu denique superbia, quam commune nobilitatis malum Sallustius appellavit; illud certum est, eos sæpius ac gravioribus animi perturbationibus commoveri. Et sane nullum est fretum, nullus euripus, qui tot motus ac tam varias habeat tempestates, quot quantasque habere solent miserrimi ejusmodi juvenes animorum jactationes atque procellas. Nunc illos videas incredibili lætitia gesticientes, nunc mœrore plenos & ægritudine pene confectos: jam ira inflammatos & furentes iracundia, jam metu pavidos, vultu animoque suspensos; tum sæpissime voluptatibus & insanis amoribus prope perditos. Huc accedit otium, quo nobilitas abundare solet plurimum; & quo uno comite, omne vitiorum genus arcessi, ac virtutem omnem proffigari necesse est. Ab otio enim, ut Cato ille Censorius dicere erat solitus, homines nihil agendo, male agere discunt. Quo quidem eo procliviores feruntur, quo amplior in illis esse solet impunitatis spes, quæ, ut Cicero inquit, est magna peccandi illecebra maximumque flagitiorum incitamentum. Quid autem tam ægram & labentem nobilitatis conditionem sanare potest, præter li-

Veras? Literæ enim sunt virtutis parentes vitiorumque expultrices. Hæ nimirum corruptos mores emendant, & ad virtutem atque honestatem excitant vehementissime. Hæ cæcas animi cupiditates, quæ furiarum instar hominem agitant, longe fugant atque dispellunt. Assiduus quippe ille studiorum labor mirum quantum ad impetum juveniles compescendos valeat. Atque animus suavitate doctrinæ paulatim delinitus, in placida quasi statione quiescens, tunc plane intelligit, quid æquum, quid iniquum sit, quid utile, quid honestum, quæ pulchritudo virtutis, quæ sapientiæ dignitas ac præstantia: hinc autem sensim ad virtutem ipsam se totus sapientiamque conformat. Quamobrem fieri videmus, ut quantum homines literis & doctrina præstant, tantum consilio, gravitate, modestia ceterisque virtutibus præstare soleant.

Quod si ex philosophorum sententia nobilitatis naturam exquiramus, magis aperte videbimus, quanta eidem nobilitati intercedat cum optimis disciplinis necessitudo atque conjunctio. Quamquam non sit unum omnium philosophorum de nobilitate judicium; cum illam alii positam velint in longa majorum serie ad posteros usque cum laude traducta, alii in splendore familiæ fortunis opibusque florentis, alii vero in præclara avorum, aut parentum gloria, rebus domi forisque gestis illustrium: attamen Plato, qui unus philosophorum omnium veluti numen habitus est, tanquam ex ara & tripode pronunciavit, nobilitatem omnium longe clarissimam atque ger-



manam tunc haberi, cum quispiam propria animi virtute ac magnitudine excellit; ut proinde is vere nobilis censendus sit, cui non aliena, sed sua ad nobilitatem virtus opitulatur. Atque hinc illud Juvenalis celebratissimum: nobilitas sola est atque unica virtus. Quæ si vera sunt, illud quidem de nobilibus bene multis dici posse videtur, quod M. Varro Diis quibusdam patribus & Deabus matribus accidisse affirmabat: eos nimirum conversione temporum rerumque vicissitudine a veteri nobilitate descivisse, & quasi ignobiles vulgo haberi. Quis enim non intelligit, quam longe a vera nobilitate absunt ii, qui otio inertiaque dediti, abdomini suo tantum nati esse videntur? Ubi enim in summa rerum ignorantia honestas & decus? Ubi splendor virtutis? Ubi vera animi magnitudo? Ubi demum reliquæ virtutes, quibus sublatis, nobilitas ipsa consistere nullo modo potest? Turpe fuit olim in Romana republica patriciis & illustrioribus viris, literarum rudes esse atque imperitos. Pervulgatum satis est Q. Mutii testimonium a Pomponio sempiternæ posteritatis memoriæ traditum: qui Sulpicio cuidam negligenter ineptique de jure disputanti, turpe est, inquit, viro patricio ac nobili jus ignorare. Neminem præterea fugit, quot vocibus & clamoribus M. Tullius tum C. Verri, tum L. Pisoni, clarissimo genere viris, exprobraret imperitiam literarum, quasi avitam nobilitatem labe summaque turpitudine affecissent. Hanc vero infamiæ maculam nemini de plebe objectam fuisse legimus, ut plane constet, optimarum artium

tium studia, non tam ad privatos, quam ad patricios & nobiles viros jure quodam suo pertinere.

Sed abeant vetustatis exempla, abeant opiniones philosophorum. Alia sunt modo tempora, alii mores. Age vero, non intercedo. Itaque missam facio nobilitatem illam, quam ex istorum sententia Philosophia magis, quam natura formavit. Atque ad eos tota convertitur oratio mea, qui hac nostra tempestate propter amplitudinem generis atque opes, vulgo nobiles esse censentur. Enimvero nobiles ex isto genere homines, nisi forte velint se ab omni republica penitus abdicare, & in solitudine belluarum more versari, literis & doctrina præter ceteros indigere contendo. Nam cui, per vestram fidem, magistratus, cui præturæ, cui publici honores, nostris quoque temporibus deferuntur? nonne viris nobilibus atque patriciis? Profecto si civilem, aut Ecclesiasticam rempublicam spectemus, eos fere consequi videbimus imperia, fasces, purpuram, qui claritate generis & splendore familiæ nobilitantur, ut aliquando plus illis nobilitas, quam aliis virtus prodesse videatur. Præterea maximo fortunæ beneficio tribuitur, si homo novus ac tenui loco natus, virtutis tamen & ingenii fama præclarus, ad amplitudinem honoris inter sibi tandem patefecerit. Inveteravit enim opinio, communi gentium consensione firmata, nobiles viros ad magistratus & honores, non tam promoveri, quam nasci. Proinde Cicero, ut consulatum suum singulari Pop. Rom. beneficio

acceptum profiteretur, se, non in cunabulis, ut plerique omnes, sed in campo consulem factum esse affirmavit. Cum igitur ceteris eminere ceterisque imperare, nobilitatis tam proprium sit, quam prope dicam generari ac nasci; quis non videt, ad ipsam quoque ea omnia jure quidem suo pertinere, quæ rectam reipublicæ institutionem, rectamque tum se, tum alios regendi rationem continent? Quis autem negaverit, honestissimas disciplinas domi militiæque & consilii duces esse & imperandi magistras? Possem quidem hoc loco oratorum more in immensum campum excurrere: possem multa ex Græcis, multa ex Romanis in medium afferre, ex quibus planum fieret, quantum in nobilissimis ejusmodi studiis momenti sit, tum ad civitatem recte instituendam, tum etiam ad bellicam virtutem & imperatoriæ laudis gloriam comparandam. Neque enim gentes illæ omnium sapientissimæ tam impenso studio, tantisque honoribus ingenuas artes extulissent, si easdem nihil ad imperii felicitatem, nihil ad reipublicæ tranquillitatem & otium, quibus illæ rebus unice studebant, conducere putavissent. Sed nimis multa dicenda essent, si eo descenderem, unde oratio exitum facile invenire non posset.

Tria sunt præsertim, quæ Aristoteles in administranda republica maxime necessaria esse putavit: consultatio de rebus agendis, magistratuum creandorum cura atque judicia. Hæc autem singula quantam, Deus immortalis, postulant sapientiæ vim ac robur? quantam tum publici, tum

tum etiam privati juris scientiam? quantam postremo & Politicæ & Oeconomicæ rei intelligentiam atque doctrinam? Ponite jam vobis ante oculos unum ex istis aliquem, nobili genere natum, qui non libros, sed calamistrum & cincinnos, non literarum studia, sed ludos & jocos, non academias, sed nocturnos mulierum coetus ab ineunte ætate frequentaverit: qui tamen fortuna rerum domina, aut errore hominum, ut inquit ille, ad magistratus & honores irreperit: quod tandem sapiens consilium, aut quæ in rebus gerendis prudentia ex tam vacuo & inani capite expectari unquam possit? Fac gravis interrim (ut solet) de re civili, aut politica controversia aliqua existat: illamne componet homo rudis, qui nulla veteris historiæ cognitione, nulla gentium, nulla optimarum legum scientia munitur? Hærebit profecto lapidi, aut trunco similis, ridiculum caput: neque enim mutire audebit, cum nesciat (ut in veteri proverbio est) alba & atra discernere. At enim dat sapere regi, inquit Hesiodus, turba sapientum comes. Non defunt in omni civitate docti legum interpretes, non defunt homines juris universi scientissimi, qui causis & judiciis præesse queant: tum etiam probe calleant, si qua res in consultationem venerit, docte & graviter de consilii sententia pronunciare. Bene est. Equidem non ignoro, quanti facienda sit hominum forensium doctrina ac virtus: neque de eorum probitate ac fide puto esse aliquid suspicandum. Illud vero affirmo, miseram omnino eorum conditionem videri, qui aliena men-

mente ad imperandum indigeant. Et sane multum interest inter proprium & alienum de publicis rebus iudicium atque sententiam. Aliud quippe est posse secum provide deliberare, suumque animum sapienter de communi bono consultare, ut Scipioni Africano morem fuisse accepimus; aliud privatorum hominum egere consiliis, qui sæpe in alterutram partem amore, sæpe odio ducuntur. Mente qui prudente pollet, is magistratum gerit, inquit Euripides. Quamobrem si cui alterius scientia, alterius iudicium, unoque verbo, alterius mens ad gubernationem opus sit, is profecto non rempublicam regere, sed ipse ab aliis regi dicendus est. Præterquamquod raro fit, ut homines imperiti alieno consilio utantur, cum ipsi sibi sufficere, ipsi soli sibi sapere videantur.

Verum quæ hæcenus dicta sunt de nobilitate universa, nemo non videt, ea maxime in nobilissimos juvenes convenire, qui rempublicam Ecclesiasticam cogitant. Perspicuum quidem est, tanto majora ab istis requirenda esse doctrinæ præsidia, quanto splendidiora sunt Ecclesiæ mænera, dignitatesque ampliores. Neque ad eas consequendas valent opes, aut illustrium majorum virtus & amplitudo familiæ, nisi iis quoque scientia, quasi cumulus nobilitatis, accedat. Quæ si forte desit, eam Pontificii juris interpretes negant quandoque posse nobilitate suppleri. Nolo autem hic, ne longior in dicendo sim, singula studiorum genera recensere, quæ Ecclesiastico viro vel digna sunt maxime, vel omnino ipsi necessaria: quorum alia cum ceteris communia sunt,

funt, alia vero Ecclesiasticorum hominum sic propria esse censentur, ut qui illis careant, quasi luce ipsa ac spiritu carere videantur. Prætereo itaque latinitatis & eloquentiæ studia, quæ vix dici potest, quantum illis afferre queant dignitatis & ornamenti. Prætereo doctrinam temporum & omnem tum sacræ, tum profanæ antiquitatis eruditionem: qua neglecta, multa de antiquis Ecclesiæ ritibus & cæremoniis, multa de ipsis Christianæ rei primordiis ignorari necesse est. Prætereo denique Pontificii juris scientiam, quam homini ad Ecclesiæ gubernacula admoto, non tam præclarum est scire, quam turpe ac periculosum nescire. Unum tamen pace vestra libere dicam, neminem mihi fatis eo vitæ genere dignum videri, qui Theologiæ studia ne extremis quidem digitis attigerit. Turpe igitur erit medico, Hippocratis, aut Galeni volumina, unde ad nos primum medicina manavit, nunquam vidisse: turpe erit jurisperito neque Pandectas nosse, neque Codicem; Ecclesiastico autem homini turpe non erit ignorare fontes purissimos religionis, & nunquam divinarum literarum volumina, nunquam sanctorum Patrum monumenta, aut veterum conciliorum sanctiones oculis suis vidisse, quibus tanquam firmissimis præfidiis & quasi subsidiariis copiis, germana ac solida Theologia instructa est? Dolet mihi plurimum, per temporis angustias me haud posse divinæ istius scientiæ necessitatem longiori oratione prosequi; in ea præsertim clarissima Urbe, quæ Christianæ religionis propugnaculum est & caput, unde sanctiora Catholicæ

Fidei mysteria & Pontificiæ sedis oracula gentes accipiunt. Quid vero de Ecclesiastica historia dicam, quæ non Theologiæ modo, sed ipsi quoque Pontificio juri facem præfert? Persuadere mihi nequeo, sanæ mentis aliquem existere, qui inficias ire audeat, eam esse Ecclesiastico cuiquam maxime necessariam. Homines puerorum simillimos M. Tullius eos vocabat, qui, quæ olim ante se essent facta, nescirent. Quid vos de homine Ecclesiæ addicto existimandum putatis, cui Ecclesiæ ipsius annales & omnis Ecclesiastica historia incognita magis sit, quam Indorum mores, aut res gestæ Sinarum?

Sed quid ultra abutor patientia vestra? Jam summa Dei providentia tempus illud advenit, in quo sane dubitare nemo potest, quin tandem Ecclesiastico viro necessaria sint nobilissimarum studia disciplinarum. Divino enim consilio factum est, ut is nobis daretur Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV., cujus quidem spectata virtus & singularis sapientia, tum etiam immensi prope ab ineunte ætate suscepti studiorum labores, non obscure indicant, quæ tandem via, & qualis cursus tenendus sit. Ille enim, quod nemini vestrum latet, majorum suorum gloriam & avitæ nobilitatis splendorem, non ad otium desidiamque traduxit, sed optimas disciplinas, quibus adolescentiam aluit, perpetuo sibi comites esse voluit, custodes ac vitæ magistras. His ducibus, non gratia aliqua, aut favore hominum, ad splendida quæque munera, ad amplissimas dignitates, ad purpuram iter sibi munivit. Una cum his tandem

dem ad supremum Ecclesiæ fastigium euectus ,  
 quanquam in rebus gravissimis occupatus , eas  
 tamen abs se divelli non patitur ; sed si quid  
 otii sibi concedatur , illud omne in libris studiis-  
 que præstantioribus ponit . Hoc autem tanto &  
 tam præclaro tum ad dignitatem , tum etiam ad  
 necessitatem literarum exemplo proposito , eritne  
 quisquam , qui adhuc dubitet , studiorum ratio-  
 nem ad nobilitatem potissimum pertinere ? Quod  
 si , ut fama est , sapientissimus Pontifex , ab ipso  
 sui Pontificatus initio pro optimis studiis volun-  
 tatem suam satis aperte significavit , se nimirum  
 in magistratibus atque honoribus impertiendis ,  
 illos ceteris antelaturum , qui ceteris doctrina sa-  
 pientiaque præstabant ; cui perspicuum non est ,  
 quanti demum intersit , nobilitatis decus bonis li-  
 teris ac doctrinæ laude cumulare ? Gratulor ita-  
 que vobis , & quanta possum voce , maxime gra-  
 tulator , nobilissimi Adolescentes , quod tam felici  
 faustoque tempore studiorum vestrorum curricu-  
 lum ingenti animo ac magna spe suscepistis . Non  
 irriti profecto cadent labores vestri , non inanes  
 cogitationes . Quæ olim virtutis & doctrinæ præ-  
 mia , sola generis commendatione , otium occupa-  
 verat , ea jam ingenio , virtuti industriæque ve-  
 stræ patere intelligitis . Si nobilitate ornati , si  
 fortunis opibusque estis abunde instructi , bene est ;  
 siquidem his accedat scientiæ splendor & doctri-  
 næ ornamentum . Quid autem vobis deesse tum  
 poterit ? an prima reipublicæ munera ? an opes ?  
 an dignitates amplissimæ ? Profecto vobis hoc  
 tempore , BENEDICTO XIV. Pontifice , non dee-  
 runt :



runt : qui cum sit literis & omni virtute ornatissimus, atque ejus voluntas in literatos homines sit mire propensa, non committet, ut optimus quisque ingenii & laboris præmia desideret. Itaque academiis, quæ injuria temporum diu siluerant, in Urbe restitutis, tum etiam aliis novis excogitatis, jam signum aliquod, ad bene de optimis studiis sperandum, sustulisse videtur. Agite ergo, & qua virtute, qua liberalissimis disciplinis illud efficitur, ut optimi principis voluntati pari diligentia ac studio respondeatis.

*Sanctissimum Dominum Nostrum*

BENEDICTUM XIV.

PONT. OPT. MAX.

ROMANÆ SAPIENTIÆ GYMNASIUM

*Primo adeuntem XIV. Kal. Junias MDCCXLI*

Paulinus a S. Josepho nomine Professorum  
alloquitur.

**I**LLUXIT nobis dies letitiæ & felicitatis plenus, in quo Sanctitas tua ad hanc Sapientiæ sedem se contulit : quod tibi & bonis artibus bonum, faustum, felix fortunatumque sit. Ex optatissima quidem tui præsentia nos summo gaudio ac voluptate perfundimur ; nobisque

Tom. II.

H

ma-

magnopere gratulamur, quod Univerſi Catholici Orbis te moderatorem conſpicimus, quem olim habuimus clariffimi hujus Gymnaſii providum ac ſapientem rectorem. Complura hic extant & magna (quod nemo non videt) ſingularis ſummorum Pontificum erga Romanam Sapienciam liberalitatis & beneficentiæ monumenta, quibus Leo X. præ ceteris, Sixtus V., Urbanus VIII., Alexander VII. aliique de optimis diſciplinis bene mereri præclarum ſibi duſerunt. Haud minora ſane abs te paterni amoris & benevolentię argumenta exſpectamus, quem de ſapientia, de doctrina literarumque ſtudio, nemini concedere certo ſcimus. Summis quidem Pontificibus de Pop. Rom. optime meritis a Senatu Populoque Romano ex ære, aut marmore ſtatuas in arce Capitolina ad poſteriorum memoriam collocatas fuiſſe videmus. Sed in hac ipſa Sapienciæ arce ſtatuas tibi poſitas poſteritas admirabitur, & longe quidem clariore titulo nomini tuo monumenta inſcripta leget, nempe

BENEDICTO . XIV. PONT. MAX.  
 ROMANÆ . SAPIENTIÆ . PARENTI . OPT. MER.  
 RESTITUTIS . AUCTISQUE . BONIS . ARTIBUS

Ad publica hæc vota unum ſupereſt, Beatiffime Pater, ut ſæpe & per annos plurimos ad nos feliciter redeas: quo omnes intelligant, te non olim tantum, ſed nunc etiam eſſe perpetuoque futurum ſtudiorum noſtrorum præſidem & cuſtodem.

DE

D E

PROBITATE  
VIRO LITERATO  
NECESSARIA  
ORATIO IX.

*Habita VII. Kal. Decembris* MDCCXLI.

*Eminentissimo Principi*

SILVIO VALENTI

GONZAGA

S. R. E. CARDINALI

Primo SS. Domini Nostri Ministro.

Paulinus a S. Josepho.

**T**ANTUS est virtutis splendor, tanta sapientie dignitas, ut in quibus ejus lumen conspicimus, eos & amemus plurimum, & observemus quammaxime. Itaque haud miraberis, Eminentissime Princeps, quod te in isto am-

plitudinis gradu positum, & in tot tantisque  
 negotiis occupatum ego homo tenuis ac vulga-  
 ris interpellare ausim. Cum enim mihi conti-  
 gerit, ut te bis adirem, teque bis alloquerer,  
 statim præclara quædam in te sapientiæ lumi-  
 na, quædam singularis ac reconditæ doctrine  
 lineamenta animadverti, quæ quidem omnes,  
 nisi quis stupidus homo sit, admirari debent  
 magnopere atque suspicere. Tum equidem in-  
 tellexi, quo pacto tibi magnorum Principum  
 benevolentiam, cum Pontificium Nuncium apud  
 eos ageres, adeo conciliaveris, ut illi te pluri-  
 mi facerent, & liberalissime atque honorificen-  
 tissime tractarent. Hinc pariter nemini permi-  
 rum esse debet, quamobrem tantam a Clemen-  
 te XII. Pont. Max. gratiam inieris, ut ille  
 valde te amaret, paucisque annis, quod qui-  
 dem perraro fit, ad maximam, quam potuit,  
 dignitatem extolleret. Quid vero dicam de  
 BENEDICTO XIV., acri judicio ac sapientia sin-  
 gulari principe, qui Pontifex Maximus vix re-  
 nunciatus, protinus te unum, ætate ista flo-  
 rentem, ex omni gravissimorum Cardinalium  
 senatu administrum sibi selegit, ut una tecum  
 infinitas prope Pontificii imperii curas partire-  
 tur? Quo sane in munere qua dexteritate, quo  
 consilio ac judicii maturitate, his præcipue tem-  
 poribus turbulentissimis, te geras, nemo non vi-  
 det. Enimvero virtutes tuas præclaras & ad-  
 mirandas recensere, non est hujus loci, aut  
 temporis. Illud tamen silentio non prætermi-  
 tam, quod huc maxime spectat, te scilicet bo-  
 nas

nas literas impense amare: neque in graviori-  
 bus tantum disciplinis, quod plerique faciunt,  
 acquievisse; sed complurium præterea lingua-  
 rum, Latinae præsertim, elegantiam & castita-  
 tem probe nosse: tum etiam Geometrica studia  
 & Analyticas subtilitates, quicquid demum so-  
 lidam eruditionem sapit, in sinu atque oculis  
 ferre. Proinde nec mihi venit in mentem sub-  
 vereri, ne orationem hanc peramanter benigne-  
 que exciperes, quæ maximum tam literarum,  
 quam literatorum ornamentum promovet, pro-  
 bitatem nimirum & decus. Quid enim literæ  
 in homine nequam & improbo, nisi gladius in  
 vesani ac furiosi manu districtus? Tristissima  
 quidem hac de re sexcenta habent Ecclesiæ an-  
 nales exempla, quæ nulla unquam ætas satis  
 lugebit, nulla delebit oblivio. Quare Christia-  
 næ reipublicæ interest plurimum, ut una cum  
 integris purisque moribus optimarum artium stu-  
 dia conspirent. Quod profecto eveniet, si viri  
 principes, eos præ ceteris ament, eos foveant  
 viros literatos, qui ceteris antecellunt, non so-  
 la ostentatione doctrinæ, sed fama quoque pro-  
 bitatis. Itaque prodit in publicum oratio hæc  
 mea amplissimo nomini tuo inscripta; quo &  
 perpetuum extet meæ erga te observantiæ te-  
 stimonium, & non obscurum tuæ erga probos  
 literatosque homines benevolentia argumen-  
 tum.

**N**ON immerito majores instituerunt, ut qui oratoris personam pro dignitate sustinere vellet, is non ingenio tantum & dicendi copia valeret, sed vitæ quoque integritate ac viri boni fama præstaret. Intelligebant enim viri sapientes, nihil fore privatis publicisque rebus eloquentia perniciosius, si illa homini nequam, tanquam latroni fica, concedatur. Et vero quod malum, aut quæ calamitas hominum generi metuenda non esset, si dicendi facultas, maleficiorum terror & innocentia præsidium, improbitatis fieret comes & scelerum ministra? Proinde M. Cato, vir prudentissimus, oratorem eum esse censuit, qui vir bonus esset & dicendi peritus; adeo ut prius ille haberet in oratore virum bonum esse, quam eloquentem. At Quintilianus, quo nemo melius rectam oratoris institutionem expressit, eo usque in hujusmodi re progressus est, ut oratorem non modo virum bonum esse oportere contendat, sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. Cum enim omnis dicendi vis in hoc potissimum posita sit, ut audientium animos flectat, impellat, planeque persuadeat ea, quæ bona & honesta sunt, quo pacto id faciat vir malus, qui in virtute atque honestate sibi minime constat? Aliud dicat profecto necesse est, quam sentiat. Prodit autem sese, quamvis sedulo custodiatur, diuturna vitæ simulatio: nec erit ulla tanta eloquendi facultas, aut industria, cui non titubet atque hæreat vox, si forte ab animo verba dissonant; adeoque aut vir probus, aut plane nullus existet orator. Ego vero quanquam semper

in hac ipsa summorum virorum sententia fuerim :  
quanquam eloquentiæ, quam rerum humanarum  
reginam Euripides appellabat, non invitus hanc  
tantam laudem tribuam, ut unus idemque ani-  
mus, eadem mens eloquentiæ sit ac virtutis ;  
illud tamen mihi satis persuadere nequeo, eam  
vitæ integritatem ac boni viri famam ita unius  
eloquentiæ esse propriam, ut ad ceteras quoque  
honestissimas disciplinas non traducatur, eodem-  
que jure ad singulas pertinere non debeat. Quasi  
vero minus oporteat, virum probum existere,  
qui philosophus, aut qui medicus, aut qui theo-  
logi personam sustinet. Profecto aut ego nihil  
intelligo, aut omnes, quotquot sunt optimæ ar-  
tes, non minus quam eloquentia, arctissimam  
habent cum virtute necessitudinem : nec potest  
quispiam eas satis honeste colere, aut in illis  
quicquam proficere, nisi ad ingenii elegantiam &  
doctrinæ copiam accedat quoque præclara vitæ  
commendatio. Quare omnino sic statuo, integri-  
tatem morum, non ad unam eloquentiam, sed  
ad omnes singulasque disciplinas cum utilitate ac  
dignitate profitendas, esse maxime necessariam.  
Quo quidem argumento vix aliud quicquam ad  
bonarum artium laudem magnificentius fingi, aut  
excogitari posse existimo. Quid enim præstantius  
de liberalibus studiis dici possit, quam ea esse  
per se arctissimis vinculis cum virtute conjuncta?  
Atque hinc etiam optimi adolescentes, quorum  
potissimum causa hodierno die hæc oratio insti-  
tuitur, facile intelligent, frustra se in literarum  
studiis dies noctesque consumere, nisi pari volun-

tate eodemque studio & ingeniis excolendis, & moribus ad virtutem conformandis operam derint.

Sed erit fortasse statim, qui complures in omni disciplinarum genere viros celebratissimos nobis objiciat, qui tamen nulla probitatis laude commendantur. Quot enim sive poetas, sive oratores primo Græcia, deinde Roma admirata est atque suspexit, quos tamen propter ebrietatem, aut libidinem, aut avaritiam pessime audivisse, memoriæ proditum est? Profecto neque Demosthenem, neque M. Tullium, homines integerrimos fuisse, jure quis affirmaverit: cum ille auri cupiditate, hic nimio gloriæ studio & infano quodam maledicendi furore conflagraverit. Nemo tamen oratorem summum, maximumque ingenii quasi portentum, utrumque extitisse negaverit. Quemadmodum enim Demosthenes cum esset dicturus, e tota Græcia ad eum audiendum concursus fieri solebat, ut Plutarchus testatus est; ita Cicero tantum dicendo valuit, ut plures eum eloquentia victorias, quam Romanos armis, consequutum fuisse, Cæsar assereret. Hæret hic animus, non est quod dissimulem. At vero non desunt viri clarissimi, qui in ejusmodi vitiis tum Demosthenem, tum M. Tullium excusent; ut plura in eos ab inimicis conficta crimina, quam illi revera admiserint, arbitrentur. Ego tamen libere dicam, quod sentio. Fuere in illis, negari non potest, vitia nonnulla, at virtutes quoque plurimæ ac maximæ: quæ magno sui splendore tæcerunt, ut vitia illa ex oculis hominum quasi



evanescerent. Quanta enim fuit animi fortitudo atque constantia, qua alter saepe Philippi potentissimi regis conatus elusit, alter tum Catilinæ conjurationi, tum Clodiano furori sese opposuit? Quantus in utroque patriæ libertatis amor? Quantum in liberis, focis, aris, fortunisque civium suorum defendendis studium, quo illi ad supremum usque spiritum inflammati fuerunt atque incensi? Itaque mirandum non est, quod aliquot vitiorum nubeculas tam eximie splendidaeque virtutes luce sua obruerint ac pene deleverint. Enimvero si quis nihilominus celeberrimum utrumque oratorem virum probum fuisse pernegaverit, non repugnabo. Fuerit quidem uterque vir malus: quid tum? Nonne miserrimus eorum finis, quo uterque vivere desit, satis superque ostendit, eloquentiam in homine malo diu valere, diuque non posse consistere? Misere uterque periit: uterque dedit contaminatae eloquentiae gravissimas poenas. Illud sane est memoria dignum, quod C. Plinius junior ad Corelliam Hispulam, foeminam primariam viro suo orbatam, scribit de eloquentiae magistro adolescentulo ejus filio perquirendo. Etenim cum illi Julium quemdam Genitorem, hominem non minus integritate vitae & morum gravitate, quam dicendi facultate praeclarum prætulisset: hinc, inquit, eum trade, Diis juvantibus, præceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quæ male sine moribus discitur. O dictum sapientiae plenum. O vocem vel Christiano homine dignam. Audierat nempe Plinius a Quintiliano magistro id, quod antea di-

diximus, non posse oratorem existere, nisi virum bonum: audierat maxime referre in puero, ut is a præceptore probitatem mature doceatur: sine qua vel nulla datur eloquentia, vel si qua forte datur, fit ipsi homini eloquenti, tum aliis quoque perniciēs summa atque calamitas. Quid vero dicam de tot non modo vetustiorum temporum, sed recentioris quoque ætatis clarissimis poetis, qui quod ingenii elegantiam vivendi turpitudine, aut loquendi licentia dehonestarent, partim exilio, partim diuturno carcere, partim etiam capite debitas sceleris sui poenas persolverunt? Testes sunt Euripides, Nasones, Marini, Murtulæ, Bocalini, aliique sexcenti, de quorum calamitate ac tristissimo vitæ exitu annales loquuntur.

Quod si poetis & oratoribus prætermiſſis, ad philosophos convertamur, quænam, Deus immortalis, existit in tota rerum universitate hominum natio, cui magis quam philosophis, a vitiis abesse procul, & virtutem in sinu atque oculis ferre, consentaneum sit? Una semper fuit sapientum vox, Philosophiam esse honestatis, continentiæ, fidei, justitiæ ceterarumque virtutum parentem & magistram. Illam proinde M. Tullius humanæ vitæ ducem, virtutis indagatricem & expultricem vitiorum appellat: illam Plato donum & inventum Deorum immortalium, quo homini majus, aut melius datum non fuerit. Quanquam enim a primis usque temporibus indagandæ veritatis studium philosophos ipsos in sectas pene infinitas propagaverit, adeo ut M. Varro

Varro ætate sua ad ducentas supra octoginta numeraret; omnes tamen five Stoici, five Academici, five Peripatetici, aut alio quovis nomine philosophi, mirifice consenserunt in iis, quæ in honestate vitæ morumque disciplina versantur. Una omnium fuit mens stabilisque sententia, pravas animi cupiditates coercendas esse, ac virtutem rebus omnibus anteferendam. Itaque Plato pulcherrimæ illius reipublicæ, quam ipse optimis legibus & institutis ad formam ceterarum sic effinxit, ut omnia in illa ad bene beateque vivendum conspirarent, non aliis magistratus & imperia destinavit, quam philosophis: quod hi nimirum, ut ipse ait, homines sint temperati, fortes, justi, magnanimi omnique virtutum genere instructi. Atque hinc illud sapientissimi ejusdem philosophi apud omnes pervagatissimum, tum demum beatas fore civitates, cum aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur.

At dicet quispiam, cur ergo philosophi e civitatibus fuere sapius ejecti? Unde tot absurda distortaque opiniones, ut teste Varrone, nemo ægrotus quicquam tam infandum somniet, quod non dixerit aliquis philosophorum? Ita sane sit. Enimvero si qui sunt, aut olim fuerunt philosophi, qui indignas homine voluptates, ut de Epicureis fama est, commendaverint: vel qui utile honesto sejunxerint, vel qui, Deorum immortalium sublato metu, in omne scelus iter patefecerint; hos ego vere philosophos fuisse pernego, sed Philosophiæ probrum & sapientiæ hostes improbissimos magna voce pronuncio. Spu-

rios quidem & adulterinos philosophos vocabat Socrates homines ejusmodi, qui non sapientiam, cujus se falso amatores prædicant, sed temeritatem, non doctrinam, sed errorem pessime consecretantur. In hunc profecto gregem conjiciendi sunt Pomponatius, Abailardus, Cesalpinus, Cremonius aliique complures, qui vita moribusque corrupti, absurda quædam & improba de immortalitate animorum ac de sanctissima nostra religione somniarunt; quique, præter inanissimum Philosophiæ nomen, nihil solidum, nihil Philosophia dignum posteritati reliquerunt.

Jam vero alio me vocant præstantissimæ disciplinæ Jurisprudentiæ & Medicinæ, duo scilicet Romani hujus Gymnasi clarissima lumina. Quis autem statim non videt, quam innocenter integreque vivere debeant ii, qui alterutrius nobilissimæ facultatis studium operamque suscipiunt? At nemo certe, nisi amens sit & omni ratione destitutus, fortunas, aut incolumitatem suam commissam velit homini, non dico nequam, sed de cujus probitate ac fide minimum suspicari quis possit. Actum esset de republica, si hujus generis disciplinæ, quibus & opes & communis salus continentur, perditorum hominum licentiæ ac libidini traderentur. Et revera quo pacto sanctissimarum legum majestatem, quæ virtuti præmia, flagitiis supplicia decernunt, tueri queat vir malus, scelerum suorum conscientia plane convictus? Qua fronte in aliis peccata reprehendet, in quibus ipse conscius & socius habetur? An promissa, pacta, conventa nobis servanda esse

sua-

suadebit is, cui humana & divina jura pervertere locus sit? Sed esto: perfrictæ frontis homini id concedatur. Jurisprudentiam cum multis in rebus, tum in consultatione consiliisque dandis, plurimum valere certum est. Nemo enim temere nulloque advocato consilio, testas, penates, liberos ac dignitatem suam foro judiciorumque tempestati committit. Quis autem ignorat, quantum in consiliis vim habeat spectata virtus, fidei & religionis opinio? Omnes scilicet virtute, aut virtutis specie & opinione ducimur. Nulla vero in consilio inest vis atque auctoritas, ubi de consiliarii integritate ac virtute dubitari ullo modo possit. Quare Solon, vir sapientissimus, admonebat, ut non tam jurijurando, quam probitati fides haberetur. In foro autem quis non videt, quantum valeant, præter ingenium & doctrinam, splendor nominis, existimatio hominum & vitæ præclare actæ dignitas? Contra vero sæpe fit, ut nulla fides, etiam vera dicenti, habeatur; & talis advocatus videatur esse malæ causæ argumentum. Hinc Asinius Pollio, qui pro Urbinæ heredibus in forum venerat, statim ac Labienum adversariorum patronum aspexit, eam causam malam esse exclamavit, quod a Labieno defenderetur. Itaque non immerito Quintilianus oratori, quem ad forum & judicia exercenda instituebat, Philosophiam moralem apprime necessariam esse asseverat; neque posse aliquem sine accurata morum disciplina fieri bonum utilemque causarum defensorem.

De Medicina vero quid loquar? Satis est Hip-

po-

pocratis libros vel leviter percurriffe, ut quis intelligat, quam sæpe & graviter vir sapientissimus Medicinam professuris inculcaverit religionem Deorum immortalium, honestatem vitæ morumque integritatem. Nam præter memorabilem illam de purgatione morali lucubrationem, in qua ipse non tam medici, quam philosophi moralis, & viri sapientis munus sustinens, a medico pravos mores, avaritiæ labem, & effrænatas animi cupiditates exulare jubet: quocirca neque Socrati, neque Platoni de sapientia quicquam concedere videtur; cui maximam admirationem non moveant ea, quæ in lib. de jurejurando memoriæ tradidit? Mirum, quantum in eo pietatem & reverentiam erga Deos commendet Medicinæ cultoribus, quibus mandat, ut, nisi divino numine invocato, in ægros curandos non ingrediantur. Quod quidem institutum utinam atate quoque nostra teneretur: fortasse ipsi Medicinæ magistri in tantis difficillimæ artis tenebris nunc minus offenderent. Quoties autem vir magnus conditionem eorum, qui sese ad studium tam arduæ scientiæ daturi sunt, diligenter expendit, toties monet, una cum scientia præclaros mores esse conjungendos. Habeant, inquit, doctrinam, bonos & generosos mores. Intelligebat enim vir prudentissimus, medicæ facultatis, per quam homines publicæ salutis præsidēs constituti ad Deos prope ipsos accedere videntur, dignitatem omnem esse interituram, nisi ad illam utendam homines probi ac bene morati admoverentur. Intelligebat medici improbitatem nemini non fore periculo-

fam, & magis quam morbus, infestam ac metuendam. Verum quid vos diutius in re minime obscura detineo? Quasi vero, ut antea dixi, homines tam amentes, aut oscitantes dari possint, ut cum eorum agitur salus, ad alium, quam ad probum & præclari nominis virum re ipsa confugiant.

Quid autem statuendum esse putatis de iis, qui non humanæ alicui facultati, sed omnium integerrimæ ac divinæ, Theologiæ nomen dederunt? Eritne quisquam, qui dubitet, singularem animi probitatem ad virum theologum pertinere? Ego equidem sic existimo, neminem dici posse theologum, cujus vitæ ratio theologo plane digna non sit. Profecto ipsum Theologiæ nomen adeo per se sacrum & divinum est, ut quicquid, non dicam improbum & flagitiosum, sed humanæ imbecillitati affine est, ab hujus scientiæ cultoribus abhorreere prorsus videatur. Irridebat Cicero Epicurum, quod is temperantiam quidem laudaret, interim vero in voluptate, quæ temperantiæ inimica est, summum bonum collocaret. Quid si forte fieret, ut qui serio perpetuoque agunt de Deo immortali, de virtutibus Christiano homine dignis, de felicitate sempiterna beatorum, & si vis etiam, de poenis impiorum apud inferos præparatis, de quibus omnibus persuasissimum nobis esse volunt, ipsi autem longe alias vivendi rationes sequerentur? Anne minus hujusmodi homines essent irridendi? Mores integri & incorrupti, Aristoteles inquit, fidem præcipuam faciunt. Qui aliter vivunt ac docent, hi  
pro-

perfecto eorum similes esse videntur, qui agunt in scena, quique statim ac a scena ipsa recesserunt, nihil eorum curant, quæ paulo ante summa voluntate curare videbantur. Ex istorum fortasse licentia permanavit in vulgus: eum religionem amittere, qui amicitias colit theologorum. O vox improba ac nefaria, quæ crimen paucorum in universum theologorum sanctissimum coetum detorquet. Quot enim sunt ante oculos nostros in hac civitate clarissimi viri, qui non minus pietate & religione, quam theologicis studiis excellunt, quique integerrimæ vitæ ratione calumniam hujusmodi diluunt prorsus atque refutant? Enimvero ex hac ipsa vulgi opinione, qualiscunque demum ea sit, illud manifesto consequitur, rem absurdam & incredibilem videri, aliquem posse sine splendore virtutis theologum existere, quod nimirum theologia & religio, religio & virtus, uno eodemque spiritu vivere videantur.

At vero quanti demum intersit ad omnes generatim disciplinas innocentia morum & virtus, ex iis, quæ brevissime dicam, facile dignoscetis. Nemo in literis tam hospes, aut tam parum exercitatus est, qui illud ignoret, ad præclarum aliquem in bonis literis progressum faciendum, præter ingenii acumen & intelligendi solertiam, maxime requiri sedati placidique animi tranquillitatem. Experientia quippe docemur, si qua alia in re, tum præcipue in literarum studiis, id quod Cicero longo rerum usu præditus dicere solebat: turbatum animum non esse aptum ad exe-

quen-



quendum munus suum. Quæ autem major, aut quæ optimis studiis magis inimica animi perturbatio, quam quæ a vitiis pravisque cupiditatibus ortum habet? Obruunt prorsus omnem ingenii vim ejusmodi motus: & alacritas illa mentis, quam literarum studia deposcunt, in ea animi jactatione languet ac deficit. Atque hinc quemadmodum qui infirma sunt oculorum acie, lucem solis intueri sine molestia haud possunt, ita qui ægro animo sunt ab studiis prope abhorrent, & literarum genus omne fastidiunt atque averfantur. Hoc accedit, quod istiusmodi homines a literatorum virorum societate atque ab omni cum illis amicitia usu prohibeantur. Amant quidem homines eruditi familiaritatem & jucundissimos amicorum congressus. Illa enim sive ingeniorum, sive studiorum similitudo facit, ut sese mutuo videre & alloqui gaudeant; ibi multa de optimis disciplinis, multa de rebus domi forisque præclare gestis inter se loqui solent; atque ita molestissimas diei horas suavitate sermonis placidoque otio traducunt. Quis autem in hoc tali virorum cœtu diu ferat hominem, liberalibus quidem studiis excultum, sed morosum, sed iracundum, aut maledicum, qui ad omnia prope irascatur, qui de republica, de principe, ac de religione quoque ipsa liberius imprudenterque eloquatur? Amicitia profecto a natura data est, non vitiorum illecebra & incitamentum (ut apud Ciceronem Lælius contendebat) sed comes & adjutrix virtutum; eique maximum ornamentum tollit, qui ex ea tollit id quod rectum & honestum. Idcir-

co sapientes, nisi in bonis & honestis viris, amicitiam dari posse pernegarant. Ego olim meminisse quosdam in hac Urbe literatos, homines revera non mediocriter doctos, quorum tamen consuetudinem familiaritatemque plerique fugere & averfari solebant; non aliam sane ob causam, quam quod omnis literarum respublica eorum supercilio niti videretur. Amabant omnes, quantum ego intelligebam, multiplicem eorum doctrinam rerumque maximarum, quibus illi instructi erant, scientiam: sed nemo æquo animo ferre poterat ipsorum vanitatem & arrogantiam; quod nimirum se solos doctrinæ principes facerent, quod parem sibi neminem vellent, quod omnia denique ad libidinem suam vituperarent. Itaque viri prudentes satius esse putabant, milites illos Plautinos fugere, quam pati projectam eorum audaciam atque superbiam: quæ plerunque causa est, cur tot clari literatura viri omnibus despectui sint, & nullum eorum ingenia præmium, nullam dignitatem consequantur. Conqueruntur sæpe multi de infelicitate literatorum, & quotidiano fere sermone percrebuit, jam prope proclamatum esse de literis: neminem hoc tempore, in Italia præsertim, existere, qui, ut olim, gratia, auctoritate, tum etiam opibus, literarum studia foveat atque amplificet: principes quidem alias bonarum artium cupidos studiorumque fautores, jam longe aliud moliri, & minime omnium de optimis disciplinis cogitare; adeoque cum Mæcenates desint, mirum non esse, cur non dentur, ut poeta ait, Marones. Ego equidem

dem nolo publicæ hujusmodi querelæ me oppo-  
nere : nolo tam pervagatæ opinioni repugnare ;  
illud tamen dico, sæpe literatorum vitio fieri ,  
ut nullum habeant literæ patrocinium . Quis e-  
nim domi alere, aut fortunis opibusque augere  
velit homines, certe quidem ingenio & eruditio-  
ne præstantes, sed turbidos & ingratos (in quo  
sane vitio nihil mali non inest) tum etiam ad  
diffidia & rixas prope factos, qui dicacitate, aut  
scribendi licentia nemini parcant? In domum re-  
cepit splendide satis ac liberaliter superiore me-  
moria Carolus Emanuel Sabaudia dux Jo: Ba-  
ptistam Marinum, poetam ejus temporis cele-  
berrimum, quem præter alia beneficia, quibus  
illum large cumulavit, sanctorum quoque Mau-  
ritii & Lazari militari ornatu decoravit . Quid  
postea? Homo æque imprudens ac beneficiorum  
omnium immemor, libellis quibusdam editis, tum  
aliis caussis, ita optimi ac beneficentissimi prin-  
cipis animum offendit, ut nisi mite illius inge-  
nium & a cæde hominum abhorrens obstitisset,  
Marinus temeritatis suæ poenas capite perfolvis-  
set. Quid vero de Joanne Ciampolo loquar?  
qui propter elegantiam ingenii & singularem e-  
ruditionem cum apud Urbanum VIII. Pont. Max.  
summo loco & gratia floreret, homo superbus  
& inflatus, nimia loquendi libertate carpendique  
vitio id effecit, ut a liberalissimo Pontifice tum  
ab aula, tum etiam ab Urbe, specie quadam ho-  
noris, dimoveretur : quem deinde, ut se revo-  
caret, neque suis, neque amicorum precibus e-  
xorare unquam potuit . Dies me citius, quam

oratio deficiat, si plura id genus enumerare velim, quæ apud Joannem Pierium Valerianum, Cornelium Tolleium atque alios extant de infelicitate literatorum argumenta sane luculentissima, quibus liquido apparet, ingenium & doctrinam sine probitate pestem hominibus calamitatemque importare. Non ergo errori hominum, aut fortunæ temeritati tribuendum, quod per sæpe videamus, viris perexiguo ingenio & mediocri doctrina ornatis, dignitates & honores amplissimos deferri: contra vero alios in oblivione jacere, qui, quod acriori essent judicio, & scientia ampliori abundarent, jam esse in vado, & in portu navigare videbantur. Plus illorum profecto valuit doctrinæ mediocritas, ab integris purisque moribus commendata, quam stulta & inanis istorum sapientia, qui sibi minus quam aliis sapere didicerunt. Neque enim viri principes putant, rei publicæ multum interesse eloquentiam, scientiam juris aliasque liberales disciplinas, nisi his quoque gravitas & honestas morum vitæque magistra prudentia accedant. Itaque M. Tullius, vir singulari consilio sapientiaque instructus, Marcum filium graviter admonuit, ut viri boni nomen præ ceteris rebus tueretur, atque illud commodis & fortunis omnibus anteferet. Non est, inquit, ulla res tanti, aut commodum ullum tam expectandum, ut viri boni & splendorem & nomen amittas. O præclaram & admirandam hominis sapientissimi vocem. O divinum & salutare optimi parentis monitum. Non opes & fortunas, non fasces & imperia comparanda filio proponit

sed

sed viri boni & honesti nomen. Utinam nostra quoque ætate parentes in liberos suos, egregia indole & ingenio ornatos, tam sapientes animi sensus infunderent. Utinam illos patria charitate monerent, ut honestatem & famam in oculis perpetuo ferant, nulla cum re commutandam: qua semel amissa, tum de ingenio, tum de omni doctrinæ spe, actum esse intelligant. Quod si forte parentes cæco amore ducti liberos suos, non tam ad virtutem & honestatem, quam ad opes & magistratus assequendos cohortantur; ad vos illud spectat, clarissimi bonarum artium magistri, qui parentum ipsorum vices auctoritatemque suscepistis. Vos, inquam, adolescentes ipsos, auditores vestros, pro dignitate vestra ac sapientia sæpe commonere debetis: doctrinam sine virtute exitium fieri atque infortunium: frustra se Romæ ab optimis studiis opes & honores quærere, frustra principum virorum expectare benevolentiam & gratiam, nisi præclara vitæ ratio scientiæ ingenioque præluceat. Non esse Romæ, quod quidam improbi dicunt, omnia exposita; & pecuniæ magnitudine, aut potentis alicujus gratia, ad omnia aditum patefieri. Fuerint hæc vitia temporum præteritorum. Nostra quidem, tum superior ætas, eos vidit sanctissimos principes, qui non minus innocentiam vitæ, quam doctrinæ præstantiam ante oculos habuerunt. Horum nemini profecto concedit BENEDICTUS XIV. optimus ac sapientissimus Pontifex, qui cum in omni vitæ genere præclarissimarum rerum scientiam cum maxima vitæ honestate ac singulari

virtute conjunxerit, non est dubitandum, quin hominum commendationem cum ab ingenio, tum a virtute ducat; atque eos præ ceteris maximis præmiis, honoribus ac beneficiis fit ornaturus, qui ipsius non dissimiles, & doctrina & probitate præstabunt. Tam magnum & præclarum summæ auctoritatis exemplum cohortationibus vestris, optimi præceptores, fidem & robur, idemque orationi meæ terminum dabit.



D E

VI ET POTESTATE  
L I T E R A R U M

O R A T I O X.

*Habita VII. Kal. Decemb. MDCCXLII.*

*Eminentissimo Principi*

NICOLAO JUDICE  
S. R. E. C A R D I N A L I

Paulinus a S. Josepho S. P. D.

**S**INGULARIS *illa tua ac nemini non perspecta humanitas, qua me primum ab eo tempore, cum, Clemente XI. Pontifice Maximo, Apostolici Palatii praefecturam summa cum laude gereres, complexus es, & qua deinde a Benedicto XIII. Cardinalis renunciatus, me semper, quaecumque se dedit occasio, prosequutus es singulariter, certe postulare videbatur, ut observantiam erga te meam aliqua literarum significatione publice testarer. Sed cum satis explo-*

ratum mihi esset acere illud ac perspicax tuum  
 de bonis literis studiisque doctrinarum iudicium,  
 facile intelligebam, nihil tibi probatum fore,  
 nisi quod esset ingenio summe elaboratum atque  
 perfectum. Itaque diem exspectabam, in qua  
 tandem rude donatus, ab hoc publico diuturno-  
 que docendi munere feriari possem; tantumque  
 mihi otii suppeteret, quantum Geometricis qui-  
 busdam, quæ sæpe tecum communicaveram, co-  
 gitatis meis perficiendis limandisque satis esset:  
 quæ quidem nomini tuo nuncupare statueram,  
 ut tuorum essent erga me beneficiorum perpe-  
 tuum monumentum. Sed cum interim docti  
 quidam viri exiis, qui domum tuam, tanquam  
 bonarum artium & sapientiæ officinam frequen-  
 rare solent, ad te detulerint, se illo die sum-  
 ma cum voluptate in Romano Gymnasio de  
 singulari vi ac potestate literarum in animis  
 hominum pervincendis me dicentem audivisse,  
 cum scilicet solenni oratione studiorum initia  
 celebrarem; postero die unus ex familiaribus  
 tuis ad me venit nomine tuo mihi perhumani-  
 ter gratulatum, qui mihi affirmavit, te oratio-  
 nem ipsam perlegendam valde cupere. Nihil  
 moror: ecce illam, qualiscunque ea sit, ad te  
 mitto; obtestorque te plurimum, ut quicquid  
 in ipsa minus emendate, minus polite diserte-  
 que dictum offenderis, illud omne censoria ani-  
 madversione libere notes, expungas, corrigas.  
 Nihil enim mihi gratius, nihil optabilius acci-  
 dere poterit, quam, talem virum sapientiâ,  
 doctrinâ, literisque excultum, studiorum meo-  
 rum



*rum iudicem ac censorem habere. Interea vero pro tuis erga me meritis dum tibi aliquam referre gratiam, ut antea dixi, cogitabam, novo me beneficii genere tibimet devinctum esse intelligo. E Collegio Nazareno vi. Kal. Decembres MDCCXLII.*

**Q**uo plura sunt, PP. amplissimi, quæ ad optimarum artium laudes celebrandas quotannis ex hoc loco afferuntur, eo certioribus argumentis intelligere potestis, nullum esse lumen ingenii, nullum eloquentiæ flumen, nullamque dicendi copiam, quæ earum dignitatem circumscribere possit, certisque terminis definire. Nam cum jam toties de illis, celeberrimo hoc die recurrente, clarissimi oratores verba fecerint, adhuc tamen tam multa, tam varia, tamque splendida sese offerunt argumenta, ut non tam invenire quid dicam, quam seligere quid potissimum dicendum sit, res mihi omnium longe difficillima videatur. Vix enim literas cogito, cum statim occurrunt animo utilitates & uberrima comoda, quibus illæ hominum vitam augent: occurrit splendor & gloria, quam cuique amplissimam afferunt: occurrit voluptas maxima & incredibilis jucunditas, qua nos in omni fortunæ gradu cumulatissime afficiunt; ut proinde in tanta rerum dicendarum copia quid agam, quo me vertam, aut quam viam infistam, prorsus ignorem. At vero in tam ancipiti deliberatione cum diu multumque versatus essem, unam tandem animo prospexi literarum præstantiam ceteris præferen-

rendam, longeque ceteris illustriorem, quam & celebritate hujus loci & sapientia vestra dignam fore judicavi. Animadverti scilicet, eam esse literarum vim incredibilem ac prope divinam, ut in animis quoque hominum imperium habeant ac potestatem. Qua quidem re quid præclarius ad bonarum artium dignitatem dici, aut quid majus excogitari unquam possit, minime video. Neque enim tenuis, aut vulgaris agitur doctrinæ triumphus, si elatos mortalium animos ac natura superbos illa vincere queat, sibique subicere. Itaque nemini, quemadmodum spero, injucunda erit oratio mea: nam & vos, Adolescentes optimi, qui tandem futuri sint studiorum vestrorum fructus jam inde cognoscetis, & vos, PP. amplissimi, taciti reputabitis, quæ sint dignitatis vestræ ornamenta, & in quo gloriæ fastigio vos ipsa literarum studia collocaverint.

Quanta sit doctrinæ vis, quantumque in animis hominum valeat, poetæ fabulis pulcherrime fictis rem non obscure adumbrarunt: Orphei præfertim, quem dulcedine lyræ non modo sylvas & saxa ad se trahere, sed etiam feras immites & flumina cantu detinere finxerunt: qui proinde crudeles tigres & rapidos leones lenire ab Horatio dictus est. At vero non ille sylvas, ut D. Gregorius Nazianzenus ait, sed sylvarum incolas vi & suavitate loquendi traxit: non saxa, sed dura hominum pectora mollivit: non feras, sed efferatos hominum mores mitigavit; postremo non flumina, sed juvenes in omnem voluptatem fluentes continuit. Equidem hac ratione primis  
illis

illis temporibus conditæ urbes, & civitates constitutæ sunt. Sic abducti ab agris & sylvis homines, fera agrestisque vita mutata, leges rogatæ, jura judicialeque descripta, sapientis videlicet viri doctrina atque eloquentia. Neque aliud certe fuit regnorum initium; regumque nomen & potestas non aliunde profecta est. Nam cum aliquis in civitate existeret, qui ceteris sapientia præstaret, & quid æquum, quid iniquum, quid utile, quid honestum sit, sapienter definiret; quique præterea res tum privatas, tum publicas optime administrandi rationem traderet, populus ad eum frequens convenire, ab eo tum de bello, tum de pace consilium capere, atque ex ejus imperio, non vi & armis, sed voluntate & obsequio omnia facere consuevit. Sic ille Nestor, cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio, Piliis imperasse dicitur: sic Evander in Latio imperium tenuit auctoritate, quam sibi apud rudes populos admiratione literarum conciliavit: sic denique Numa Romanis leges præscripsit, singularis sapientiæ fama & Egeriæ Deæ colloquio celebratus. Itaque quod strenui duces ac fortissimi imperatores copiis atque exercitu instructi, & omnia vi, minis, igne ferroque vastantes, vix tamen obtinent, ut populos in ditionem suam redigant, id olim per se nullis armis nulloque terrore militum obtinuit doctrinæ ratio, cum tot illi gentes ac populi sese ultro dederint. Consecutis inde temporibus, omnes optime institutæ civitates, omnes liberi populi, omnes præclaræ res publicæ semper apud se doctissimos viros habere studuerunt,

runt, quos de politicis rebus, de œconomicis, de legibus, de judiciis ac de omni civili scientia confulerent. In his fuere Solon, Lycurgus, Zoroaster, Trismegistus aliique plurimi, qui sanctissimis legibus & institutis cives suos sapientissime gubernarunt. Neque vero mirum, quod populos ita doctrinæ fama sibi subjecerit, cui clarissimi quoque duces & imperatores terrarum orbis victores, manus dare, & ab ea vinci præclarum sibi duxerunt. Philippus rex Macedonum, vir magnitudine animi, & bellicis laudibus cum paucis comparandus, Athenienses bello gravi diuturnoque vicerat; cumque Athenas in suam potestatem redegisset, communis fuit tum ducum, tum etiam amicorum regis sententia, ut rex urbem sibi, ac Macedonum nomini tot annos infestissimam aliquando everteret, everfamque solo æquaret. Sed Philippus, eorum spreto consilio, recusavit, urbem doctrinæ, ut ipse ait, & literarum theatrum excindere. Quid vero Gn. ille Pompejus tot tantisque victoriis Europa, Asia, atque Africa terra marique partis jure optimo magnus, qui Possidonii philosophi auditor fieri, ejuque postibus laureatos falces submittere gloriæ sibi duxit? Quid C. Cæsar, qui M. Tullium Pompejanas partes secutum post Pharsalicum prælium non modo in gratiam recepit, sed eum quoque deinde perpetuo & coluit & singulari humanitate complexus est; quod divinam ejus eloquentiam tanti faceret, ut illum omnium triumphorum laurea dignum affirmaverit, multo præclarior esse asseverans, ingenii & Romanæ linguæ terminos,

quam

quam imperii fines promovere. Enimvero admirabilem esse literarum vim inde clarius intelligetis, si in perversis hominum moribus castigandis, pravisque affectibus leniendis eas plurimum posse animadvertatis. Omnes quidem, quotquot homines sunt, probe norunt, perturbationes animi morbos esse graves & periculosos, quibus ille longe deterius, quam æstu febrique corpora, conflatur. Quid enim aliud est amor, odium, metus, voluptas, dolor, nisi gravissimæ animorum ægritudines, quibus illi misere cruciantur? Quarum sæpè tanta vis est atque acerbitas, ut homines ab iis intereant, vel impatientes morbi voluntariam sibi ipsi mortem consciscant. Quot, quæso, amor usque ad insaniam induxit? Quot dolor exulceravit? Quot mœror ad mortem adegit? Sed plures profecto sanavit pharmacum illud, quod Homerus Nepenthes nominavit, sermo scilicet doctrina conditus. Hoc nimirum Helena Telemachum hospitem ingenti mœrore confectum ad hilaritatem revocavit, cum inter pocula paternam Ulyssis virtutem, resque ab eo præclare gestas commemorans, adolescentis animum reddidit alacriorem. Et sane quorsum spectabant Tusculanæ M. Tullii quæstiones de tolerando dolore, de ægritudine lenienda, ac de reliquis animi perturbationibus sedandis? Quo tendebant Platonis, Clitomachi, Carneadis, & aliorum de luctu minuendo opuscula? Quo virorum illustrium tot de consolatione commentaria, Sulpitii ad Ciceronem, Ciceronis ipsius ad semet de interitu filiaë consolandum, Senecæ con-

sola.

solatio ad Polybium, ad Marciam, ad Helviam matrem, Plutarchi ad Apollonium, ad uxorem; & scripta alia, quibus viri sapientes parem magnitudini doloris medicinam attulerunt? Intelligebant enim ejusmodi viri, extremis malis extrema remedia esse adhibenda: proinde Philosophiæ præceptis atque omni doctrinæ genere usi sunt, qua sola potentissima vi sese malorum acerbitati mederi, & languentes ac prope desperatos animos ad sanitatem posse traducere putaverunt. Audite quid M. Tullius in Tusculanis quæstionibus de consolatione dicat, quam ipse sibi ob amissam carissimam filiam pene doloris vi exanimato, a literis & doctrina quæsit. *Ægritudinis sedatio*, inquit, & hesternæ disputatione sedata est, & in consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) mœrore & dolore conscripsimus. Quodque vetat Chrysippus ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturæque vim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet. O magna doctrinæ vis, quæ acerbissimum vulnus paterno pectori recens inflictum si minus sanare, at certe lenire potuit.

Verum inter ceteras animi ægritudines, quibus homines, quasi mortifero morbo urgeri, atque admodum dies noctesque vexari solent, duæ sunt omnium maxime periculosæ, libido atque iracundia. Sunt hæ profecto geminæ furiaë tædis ardentibus armatæ, quæ hominem in omne flagitiorum genus præcipitem agunt: neque ulla vis est, aut virtus, quæ illum colibere possit atque

retrahere. Non parentum obsequia, non amicorum consilia, non suppliciorum metus, non ipsa vitæ discrimina quicquam valent, ut animus ab alterutra hujusmodi face inflammatus, queat a concepto scelere dimoveri. Rationis enim lumine orbatus, in præceps ruat necesse est. Sed o admirandam literarum virtutem, o vim doctrinæ incredibilem: attendite, quæso, factum singulari admiratione dignum, quod nisi Valerius Maximus, Diogenes Laertius, Lucianus, tum etiam ex nostris sanctissimi viri Hieronymus, Augustinus & Ambrosius literis tradidissent, vix cuiquam credibile videretur. Erat Athenis Polemo, adolescens luxuria perditissimus, a summo mane ad vesperam usque ebrius & crapulæ indulgens, quem Athenienses, ut Lucianus refert, se nunquam sobrium vidisse affirmabant. Hic, lucente jam sole, e nocturno convivio domum rediens, ut erat unguentis delibutus, floribus coronatus & pellucida veste amictus, Xenocratis philosophi scholam, doctorum hominum turba refertam ingreditur. Atque hic crapulam exhalans vinoque languidus, non modo inter honestissimos juvenes eo lasciviæ habitu confedit, sed etiam ore impuro disputationem interpellare ausus est. Tum omnes indignitate rei commoti, stomachari, fremere, indignari audacissimi hominis petulantiam. At Xenocrates, vultu nihil immutato, omissis iis, de quibus differebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit, tanta quidem vi & gravitate, ut Polemo quasi gravi somno experrectus, statim respiscere visus fit. Proinde primum coronam capite detra-

etiam

Etiam projicit, deinde brachium in pudoris & modestiæ signum intra pallium reducit, demum effusam oris hilaritatem contraxit, atque omnem prorsus luxuriam ac turpitudinem abdicavit; adeo ut & philosophus postea clarus evaserit, & ipsi magistro in schola regenda successerit. Ecquis quantum doctrina valeat, plane non videt, si ex una Xenocratis lectione juvenem perditum luxuria pudicum & continentem, turpissimum ganeo- nem philosophum præclarum fieri videat. Quid si dicam illum ipsum in reliqua vita ea gravitate, temperantia ac pudore se gessisse, ut ad eum scorta accedere non auderent? O inauditam sapientiæ virtutem omnium literis & prædicatione dignam. At vero de iracundia, quam Ennius insaniam principium esse dixit, haud minorem victoriam attendite. Hanc autem eloquentia, quæ flexanima non immerito a Pacuvio poeta dicta est, veluti propriam sibi vindicat: quam proinde vobis, studiosi eloquentiæ adolescentes, longe jucundio- rem fore non dubito. Oderat C. Cæsar Q. Ligarium acerbo animo atque infesto, quod ille pro Gn. Pompejo in acie Pharsalica steterat, tum etiam quod multa alia contra dignitatem suam eum fecisse non ignorabat. Quamobrem constituerat apud se cum eo nullo unquam tempore reconciliari. Cum autem Ciceronem pro eodem Ligario sibi supplicaturum audire non recusasset, amicos præmonuit, Ciceronem abs se, non ignoscendi animo, sed officii gratia auditum iri. Quid enim obstat, ait, quominus M. Tullium pro Ligario dicentem audiamus,



mus, quem jampridem hominem improbum & hostem nostrum esse constat? Age porro: dixit Cicero pro Ligario, at tanta dicendi arte atque ingenio, tanta ipsius Cæsaris propter clementiam commendatione, tantaque erga reum miseratione ac precibus, ut Cæsar, mutata voluntate, injurias omnes Ligario condonaverit, atque in gratiam receperit. Sed audite rem a Plutarcho diligentius expositam. Posteaquam Cicero (inquit) dicere orsus est, mirifice eum commovit: variisque affectibus & mira gratia ejus oratio ita progressa est, ut colorem identidem Cæsaris facies variaret, perspicuumque omnibus esset, cum animi motibus concitari & ad misericordiam flecti. Denique ubi pugnam Pharsalicam orator attigit, usque adeo animo percussus est, ut toto corpore contremuerit, atque ei de manibus libelli aliquot, quos tenebat, exciderint. Itaque precibus expugnatus, Ligarium crimine absolvit. Audistis, Auditores, Cæsarem illum virum fortissimum atque invictum, qui tot victorias reportaverat, quot bella gesserat, tot gentes populosque domuerat, quot prælia commiserat, a Cicerone eloquentiæ vi expugnatum, oratori dare manus, reo parcere atque inimicum in gratiam amicitiamque recipere? Quæ victoria tam nova & incredibilis, quæ cum hac comparari unquam possit? Quæ tanta virtus ac potestas, quæ victorem gentium & imperii Romani moderatorem cogeret ad hominem sibi infensissimum complectendum, cui hostem se perpetuum fore obfirmata voluntate de-

claraverat ? O quam vere ipse M. Tullius eloquentiam animorum dominatricem centies & milles nominavit . Quam recte Euripides agebat , quæcunque ferrum moliri atque efficere potest vis hostium , ea omnia confici oratione viri eloquentis . Profecto me dies deficeret , si clarissimas & innumerabiles commemorare velim victorias , quas eloquentia in omni temporum memoria retulit , principum regumque animis expugnatis . Sed hic non eloquentiæ laudes celebrandi locus est , cum in præsens omnium disciplinarum causam agendam susceperim , Quæ quidem singulæ tantam in se vim continent , ut animos hominum natura cælestes & divinos sibi subicere queant . Quid enim de medendi facultate , quid de jurisprudentia dicam ? Utinam illæ in nobis haberent minus auctoritatis & imperii : profecto nos earum cultoribus fortunas , opes , vitam denique ipsam haud tam facile crederemus . Medicos quidem , eloquentes præsertim , vitæ necisque nostræ imperatores statim fieri , C. Plinius senior iniquo animo ferebat . Enimvero honorem illi nos liberaliter deferre , sacræ literæ jubent . Jurisperitos autem , in hac potissimum civitate , tanti facimus , ut eorum judicio consilioque cuncta fere dirigi , gubernarique videantur . Hinc est , quod tam sæpe homines , non splendoris generis , non opibus , non aliqua ratione præclaros , sed obscuro & aliquando etiam infimo loco natos , videmus apud principes viros & clarissimos reges amicitia , gratia & auctoritate valere , quorum ipsi doctrina con-

filio-

filioque omnino nituntur. Equidem memoriæ proditum est, Alexandrum Severum nihil unquam, nisi ex doctorum hominum scientia, gerere consuevisse. Nec nobis hic vetustiora consecrari opus est: quot modo sunt in Urbe ante oculos omnium nobilissimi Præsules, & amplissimi Cardinales, qui hominum doctrina præstantium sententiam in gravissimis negociis exquirunt, eorum consilia sequuntur, omnia demum ex unius sapientis viri iudicio deliberant? Et erit quisquam, qui dubitet, magnam inesse doctrinæ vim magnamque auctoritatem, cum videat viros genere ac dignitate primarios, tum etiam ætate graves, qui omnibus imperare, nemini parere consueverint, homini tamen literato sese ultro subicere, suoque illius præferre iudicium, qui cum iisdem sit neque ætate, neque ceteris vitæ ornamentis ullo modo comparandus?

Valeant ergo valeant, qui hoc tempore de literarum studiis demisse cogitant & perperam obloquuntur. Non jacent profecto literæ, non otiantur: neque despectui sunt ulli, ut isti dictitant, literarum cultores. Habet, habuitque semper suam vim, suum robur scientia & doctrinæ præstantia: atque id non solum in vulgo & in multitudine imperitorum, sed etiam in regum & clarissimorum principum animis, qui a nemine vinci, nemini cedere, nisi sapientibus viris, præclarum sibi esse ducunt. Quamobrem, Auditores, si quis erit in posterum, qui, vobis audientibus, literarum dignitatem contemnere audeant, aut do-

Strinæ studia nullius utilitatis, nullius gloriæ, nullius denique momenti esse iudicet, hunc vos vel amentem, vel dignitatis suæ parum cupidum esse putatote.

DE LAUDIBUS LEONIS X.

IN ANNIVERSARIIS EJUS

PARENTALIBUS

ORATIO XI.

*Habita VII. Kal. Martias MDCCXLV.*

**T**RISTIS semper & acerba mihi accidit illius diei memoria, in quo Leo X. Pont. Max. incredibili bonorum omnium mœrore summaque totius Urbis comploratione & lacrimis interiit. O diem reipublicæ ac religioni funestissimum. O luctuosam tristissimamque Pop. Rom. calamitatem. Jam quinque supra viginti & ducentos enumerantur anni, ex quo ille publicæ felicitati præreptus est, &, tanquam recenti refricato vulnere, adhuc miseris modis dolemus. Solenni quotannis officio in hoc religionis & literarum domicilio Leoni ipsi iusta persolvimus, clarissimam illius memoriam singulari laudatione prosequentes: sed tantum abest, ut pietatis huiusmodi significatione satis nobis fecisse existimemus, aut in

nobis extincti desiderium minuatur, ut illud contra magis ac magis in dies augeri sentiamus. Etenim tanta fuit Leonis X. virtus, tam incredibilis sapientia, tanta in omnes, præsertim vero in viros doctos, liberalitas ac beneficentia, ut quotquot iisdem temporibus extiterunt scriptores, illum summis laudibus ad cælum extulerint: illum munificentissimum principem, illum Pontificem optimum ac sempiterna recordatione dignum, unanimi consensione prædicaverint. In tanta igitur celebritate laudum tantoque virtutum plausu, quo me vertam, aut quid consilii capiam, prorsus ignoro. Neque enim possunt, tam brevi ad dicendum tempore constituto, amplissimæ Leonis virtutes vel numerando recenseri: neque mihi mens est ire per singula præclarissima ejus facta, & vos diutissime in audiendo defatigare. Itaque dignum ad fontem, ut ajunt, intendam; atque operam dabo, ut paucis intelligatis, Leonem X. hoc tantum sui desiderium reliquisse, hanc tantam gloriæ diurnitatem esse consecutum ex liberalitate in literarum cultores, ex summo denique optimarum artium patrocinio. Hinc profecto ille sibi nominis immortalitatem comparavit; atque hinc quoque hodierno die erit mihi præcipuum ac proprium de ejus laudibus argumentum, ceteris quidem ab eo præclare gestis silentio prætermittis, quæ fere singulis annis ex hoc amplissimo loco celebrari consueverunt.

Digna sane viro principe laus est liberalitas, quam primam & peculiarem imperantium dotem

Alexander Severus nuncupare solebat : qua si qui careant , vix illi principis nomine digni esse videntur . Nimirum qui rerum potiuntur , hac una virtute populorum benevolentiam sibi maxime conciliant , imperiumque sibi beneficiis longe melius , quam armis tuentur . Quod cum satis optimi principes intelligerent , illud dies noctesque cogitabant , quo pacto possent de omnibus benemereri ; ac diem illum , in quo non aliquem beneficio ornatum sibi que devinctum dimisissent , sibi met omnino periisse putabant : quemadmodum præ ceteris de Tito Casare , de Trajano imperatore , aliisque plurimis historiæ loquuntur . At vero quanquam principes ipsi liberalitatis laude tantopere commendentur , fit tamen sæpe , ut ea ipsa sic abutantur , ut propter illam , non tam in laudem , quam in sermonem & vituperationem hominum veniant : quod nimirum , qua in re liberalitas ejusmodi sita sit , minime intelligant . Alii enim in venationibus , in ludis sumptuosis & spectaculis magnificentissimis pecuniæ magnam vim profundunt : alii in tabulis pictis , signis & marmoribus , alii denique in magnificentia ædificiorum , in fontibus ac pyramidibus ad cælum usque extollendis , immensas publici ærarii opes infumunt atque disperdunt . Verum errant , profecto errant , si non in publicis commodis , sed in vanis hujusmodi substructionibus veræ liberalitatis laudem contineri sibi persuadeant . Falluntur , inquit Tacitus , quibus luxuria specie liberalitatis imponit : perdere multi sciunt , donare nesciunt .

sciunt . Hinc est , quod Plinius , ut veram & germanam Trajani ab inani & fucata præteritorum Cæsarum , liberalitatem distingueret , ambitio , inquit , & jactantia & effusio & quidvis potius , quam liberalitas existimanda est , cui ratio non constat . Et Isocrates regem suum Nicolem admonebat , ut splendidissimus quidem esset , sed in his rerum sumptibus liberalitatem ostenderet , quæ fructum nunquam interiturum ex se parent .

Quæ cum ita sint , plane dubitari non potest , quin Leo X. veræ liberalitatis laudem probe noverit , eamque fuerit perfecte affectus . Ex regia enim Medicea familia natus , & in paterna domo , munificentia & splendoris veluti officina liberaliter educatus , cum ipso pene nutricis lacte germanæ virtutis & laudis sensus altius imbiberat . Noverat quidem adolescens mira ingenii dexteritate præditus , Græcis præterea ac latinis literis sapienter instructus , quantum discriminis inter veram & fucatam liberalitatem intercederet . Noverat , majores suos , immortalis memoriæ viros , Cosmum proavum , Petrum avum & Laurentium patrem , summo reipublicæ bono in optimarum artium commoda immensas fere opes summa cum laude prodegisse . Proinde ipse quoque in omni vitæ genere & Cardinalis & Pontifex hanc eandem Mediceæ domus gloriam , literarum patrocinio comparatam , quasi propriam sibi asseruit , & quam maxime potuit , amplificavit . Nam ut silentio præteream , quam libe-

rali gratoque animo egregius adolescens se gere-  
 ret erga Angelum Politianum, Demetrium Chal-  
 condylam, Scipionem Carteromacum aliosque vi-  
 ros literarum dignitate clarissimos, quos ad hu-  
 manitatis studia, ad eloquentiam, ad philoso-  
 phiam & ad omnem eruditionem tum Græcam,  
 tum Latinam magistros habuit; ut nihil loquar  
 de officiis ac liberalitate, qua usus est plurima  
 erga viros doctrina præstantes, cum ab Innocen-  
 tio VIII. Cardinalis in ipso ætatis flore renun-  
 ciatus, in Academia Pisana versaretur, ut juri  
 addiscendo operam daret; postremo ut missum  
 faciam omne illud fortunatissimum tempus, quo  
 paterna ejus domus opulentia, fortunis, gratia,  
 auctoritate opibusque maxime floruit; cui mi-  
 rum non videatur, quod adversante deinde for-  
 tuna, & communi Italiæ fato Mediceæ quoque  
 domus ruinam & vastitatem involvente, ille ni-  
 hilominus idem erga literatos homines studium,  
 eundem animum eandemque voluntatem perpe-  
 tuo conservaret? Nemo vestrum ignorat tristis-  
 sima ea tempora, quæ bellorum tumultibus agi-  
 tata, seditionum turbarumque tempestate quadam  
 Italiam fere universam misere jactarunt. Ea tunc  
 fuit Mediceæ gentis calamitas, ut civium impro-  
 borum invidiæ, furori ac telis cedere, patriosque  
 splendidissimos lares fuga deserere cogeretur.  
 Cumque ex hac flamma periculoque Cardinalis  
 Medices evolasset, decem & octo annos per Ita-  
 liam, Galliam atque Germaniam pervagari com-  
 pulsus est. In hoc autem tam misero, tam dif-  
 fi-



ficili diuturnoque exilio quis crederet, Joannem Medicem, facultates, quas sibi reliquas fortuna fecerat, literatis hominibus liberaliter nunquam destitisse impertiri? Et sane etiam tum fuerunt Romæ, fuerunt Mediolani, fuerunt Genuæ atque Florentiæ viri literarum cultores, quos suis ille sumptibus alebat, & quibus poterat, opibus sustentabat. Vix cuiquam credibile videretur, aut oratorum more a me verbis auctum & exaggeratum id, quod dicam, nisi Paulus Jovius Nucernus Antistes rem literis testatam faceret. Talis erat, inquit, Cardinalis Medices etiamdum exularet, erga viros doctos liberalitas, ut non defuerint aliqui, qui juvenem serio admonerent, ut sibi ab ejusmodi largitate temperaret: venturum enim tempus, quo ipse propter rei familiaris inopiam, neque alios, neque se sustentare posset. Sed ille, egone, ait, viros doctos deseram? Ego ab illis unquam divelli patiar? Malo equidem cum ipsis exulatque egens extremum vitæ spiritum ducere, quam sine illis in patriam reverti atque regnare. O præclaram vocem magnanimo viro dignam. O incredibilem erga literarum studia animi propensionem. Jam vero minime decebat, ut tanta ac tam singularis virtus, quam immortalis Dei providentia amplificando communi literarum bono destinaverat, diutius delitesceret. Itaque, extincto Julio II. Pontifice, ipse Cardinalis Medices ad summum Pontificatus apicem Leonis X. nomine, ingenti Pop. Rom. plausu & bonorum omnium gratulatio-

tione euectus est . Quis autem hic brevi orationis ambitu complecti possit , quæ & quanta ille in Pontificatu liberalissime fecerit ad dignitatem literarum provehendam ? Si homo privatus , patria pulsus , exulans atque egens tam liberalem se præbuit eruditis hominibus , quam modo audivistis , quid eum putatis , cum Romanus Pontifex , Ecclesiæ caput & princeps fuerit renuntiatum , esse facturum ? Non ignoro equidem quandoque fieri , ut hominum mores , maxima dignitate accedente , immutentur , longèque alii ac prius , esse videantur . At constans eademque semper fuit Leonis X. erga literatos voluntas , crevitque in eo summa cum dignitate liberalitas . Quare vix Lateranensi Concilio , quod Julius II. inchoaverat , feliciter absoluto , vix sedatis iis , quas Carvajal & Sanseverinus Cardinales in Pisano conventiculo excitaverant , turbis ; vix denique Italiæ rebus pace & tranquillitate compositis , cum continuo literarum studiis ad Urbem , unde per varias temporum acerbitates diu exulaverant , revocandis omnem animum adjecit . Verum optimis disciplinis in Urbe restituendis tempus nimis inopportunum & alienum nactus es , Leo Pontifex Maxime . Nonne Pontificii ararii opes diuturnitate bellorum profus attrita ? Nonne Ecclesiasticæ ditionis provinciæ , aut igne ferroque vastatæ , aut multo ære alieno obstrictæ ? Nonne demum Roma ipsa , imperii sedes , gravissimis oppressa vectigalibus ? Hæc profecto nemo non videt , qui Pontificatum ,

tum Julii armis perturbatum ac plus nimio bellicosum omnino non ignorat . Sed hæc principes alios percellant impediuntque , quo minus erga literas & literatos se munificos ac liberales ostendant ; non autem Leonem X. , qui nominis sui magnitudini parem habet animum ac beneficentiam . Itaque jam ex Italia universa , ex Græcia , Germania , Gallia , aliisque remotissimis provinciis ad Urbem properant , Leone ipso magnis propositis præmiis invitante , viri doctrina , literis & eruditione clarissimi ; atque omnes in Leone , non tam Meecenatem aliquem beneficum , quam amantissimum literarum parentem inveniunt . Etenim quotquot Latinis Græcisque literis eminebant , quotquot dicendi elegantia , aut poetica facultate clari , quotquot Philosophia , sacrarum literarum , aut juris scientia præstabant , cuncti quidem uberrimos doctrinæ fructus a liberalissimo Pontifice reportarunt . O liberalitatem singularem . O fortunata ac vere aurea tempora . Laudaverunt veteres annalium scriptores Augustum Cæsarem , quod Publ. Virgilium , Lucium Varum & Horatium Flaccum amplissimis præmiis cohonestaverit , tum etiam quod ingenti liberalitate cum M. Vitruvio Pollione usus sit . Laudaverunt alii Vespasianum Cæsarem , hominem alioquin pecuniæ cupidum , quod præstantes aliquot poetas coemisset , & Basilio Salejo egregio vati quingenta sestertia donasset . Laudaverunt alii postremo Hadrianum Cæsarem , quod eos divitiis honoribusque decoraverit,

rit, ac vacare vitæ reliquum jufferit, qui Romæ docuissent, & propter ingravescentem ætatem muneri suo satisfacere amplius non possent. Hæc autem quota pars est eorum, quos Leo X. summa liberalitate excepit, fortunis auxit, opibusque cumulavit. Dies, aut memoriæ vis me deficeret, si dicendo numerare velim oratores, historicos, philosophos, jurisperitos, geometras aliarumque disciplinarum cultores, ejus beneficentiæ testes locupletissimos. Non commemorabo, id quod apud omnes pervulgatum est, viros amplissimos Bembum & Sadoletum sibi ab epistolis esse voluisse. Silentio prætereo duo clarissima Græciæ lumina, Lascharem Rhidocenum & Marcum Masurum Cretensem, quos summo honore coluit, & utrumque sacerdotiis & infulis decoravit. Mitto Joannem Antonium Pollionem, Mutium, Aurelium, Camillum Paleottum, Julianum Camertem, Latinum Juvenalem, Jo: Franciscum Roborem, Guidonem Posthumum aliosque sexcentos, quos paterna benignitate complexos & opibus & præfecturis & magistratibus amplificavit. Sed tacere omnino non possum præclara illa duo Dominicani Ordinis ornamenta, Thomam de Vio & Saeten Pagninum civem meum: quorum alterum Theologicis studiis & doctrina celeberrimum ad Romanæ purpuræ dignitatem evexit, & ad refræmandam Lutheri audaciam in Germaniam legatum Apostolicum misit: alterum vero Græcis Hebraicisque literis nemini secundum Florentia Romam attraxit,

ut

ut eruditissimum in Urbe absolveret de sacris literis commentarium , præclarum sibi fore existimans , si illud nomini suo inscriberetur . Quid plura ? Audite Pauli Jovii gravissimum testimonium . Nulla in re , inquit , ardentius & effusius , quam ad liberalitatis gloriam anhela-  
vit ; eos principes indignos existimans , qui nequaquam benefica manu fortunæ muneribus uterentur . Nemo enim vel civis , vel peregrinus , qui paulo nobilioris artis famam teneret , nemo vel male sanus poeta , nemo alicujus optimarum literarum partis non ignarus unquam fuit , qui benignitatem humanissimi principis non senserit . O si tales Principes , quæ Leonem consecuta sunt , tempora nobis attulissent , profecto Urbem minus pulchram , at longe doctiorem haberemus . Neque enim hic magnificentissima tecta ac moles , neque tot pyramides & obeliscos , neque tot fontes fluminum instar defluentes peregrini atque advenæ tantopere suspicerent , sed infinitam doctorum hominum multitudinem beneficentia principis sustentatam , quæ doctrinarum studio , vel sacras literas illustraret , vel scriptis hæreticorum tela retunderet . At vero , quæ fuerit vel in hoc sapientia Leonis , attendite . Cum intelligeret homo sapiens ac providus , hanc tantam suam liberalitatem nihil literis profuturam , nisi beneficentiam ejusmodi ad venturas quoque ætates protulisset , Romanum hoc amplissimum Gymnasium in media Urbe a fundamentis excitavit , stabile ac per-

perpetuo mansurum bonis artibus domicilium .  
 Noverat enim vir sapientissimus , benefacta  
 principum , præclara quanvis & illustria , pa-  
 rum emolumentum ac laudis habere , si brevi eo-  
 rum vitæ curriculo circumscribantur , neque ad  
 posteritatem sese ullo modo extendant . Cœle-  
 stibus flammis ea quidem simillima esse viden-  
 tur , quæ aliquando fulgore insolito radiant  
 in æthere apparent , & ad se omnium oculos  
 & admirationem trahunt , sed fere statim ex  
 alto ruunt atque evanescent . Amavit quoque  
 literas & literatos Eugenius IV. , de quo Pla-  
 tina scribens , liberalis fuit , inquit , in om-  
 nes : tum maxime in literatos , quorum fami-  
 liaritate delectabatur . Nam Leonardum Areti-  
 num , Carolum Poggium , Aurispam , Trape-  
 zuntium , Blondum , viros doctissimos , inter  
 suos admisit . Amavit literas & literatos Nico-  
 laus V. , homo sapientia & doctrina cum pau-  
 cis comparandus . qui viros Theologia & quo-  
 vis alio optimarum artium genere conspicuos  
 summa liberalitate ad se recepit ; & conquisitis  
 ex tota Græcia voluminibus , iisque in Lati-  
 nam linguam conversis , adeo ingenia fovit ex-  
 citavitque , ut ejus temporis historici de illo  
 affirmare non dubitaverint , disciplinarum om-  
 nium studia Romæ nunquam magis , quam eo  
 imperante , effloruisse . Amavit denique literas  
 & literatos Pius II. vir ingenio , literis & elo-  
 quentia clarissimus , qui in summo quoque Ec-  
 clesiæ fastigio collocatus , nunquam doctrinæ  
 stu-

studia intermisit , tum etiam viros doctos pecunia juit , maximisque honoribus decoravit . Verum quid postea ? Nemo est eorum temporum sic ignarus , ut nesciat , Romanis hisce Pontificibus vita functis , omne pariter cum ipsis literarum decus & patrocinium interiisse . Nimirum uno eodemque tempore , in quo Pontifices illi sapientissimi extincti sunt , occidit quoque omnis doctrinae lux , omnis literatorum hominum spes atque felicitas . Enimvero Leo X. singularem suam erga literas & literatos beneficentiam , non caducam , neque brevi unius aetatis spatio definitam esse voluit , sed sempiternam & immortalem . Voluit scilicet in hoc Romano Gymnasio veterem eloquentiam perpetuo regnare : proinde Janum Parrhasium Constantinum id temporis dicendi facultate clarissimum , ducentorum aureorum stipendio proposito , ad hanc provinciam accersivit , datis ad eum literis humanissimis : quem deinde Amasæi , Beroaldi , Mureti , Manutii , Cortesii , Antoniani , Ugonis , Fontanini aliique primi ordinis oratores consecuti sunt , qui pro Romana eloquentia ac bonis literis contra barbaros earum corruptores , tanquam pro aris & focis , strenue decertarunt . Hic duas jam aetates Philosophia parens ac magistra virtutum , tranquillam habuit stationem . Hic mathematicae disciplinae , hic medendi facultas , hic civilis & Pontificii juris scientia , hic denique sacrarum literarum doctrina , perpetuos habuere , & nunc ha-

habent , magistros sapientia & eruditione præstantes , quos omnes percensere , aut de singulorum laudibus dicere , nimis longum foret , ac permolestum . Quid vero loquar de iis , quæ ad hujus academix dignitatem firmandam perpetuoque stabiliendam , Leo X. providentissime constituit ? Quid hic referam præclarum & satis amplum stipendium optimarum artium professoribus de publico ærario liberaliter decretum ? Quid demum binas illas Apostolicas sanctiones commemorabo , quibus duplici veluti propugnaculo hanc bonarum artium arcem ita firmavit & communivit , ut nulla unquam futurorum temporum calamitas , nulla eam posset improborum hominum vis & audacia labefactare ?

Quænam igitur tam providæ ac tam singulari beneficentissimi Pontificis liberalitati par oratio inveniri unquam poterit ? Non modo ille , quando vixit , honestissimas disciplinas ac viros doctos munificentia prope regia profecutus est , sed ad posteros quoque & ad omnem ætatem propagari voluit beneficentiæ suæ fructus uberrimos . De vobis ille , Quirites , de liberis vestris , serisque nepotibus anxius fuit atque sollicitus , cum in Urbe de Pontificio ærario optimarum artium sedem perpetuumque domicilium stabilivit . Quo majore ille tandem poterat beneficio de hac civitate , de Pop. Rom. de universa literarum republica benemereri , quam hoc celeberrimum toto orbe Gymnasium constituendo , in quod tum Romani cives , tum peregrini atque hospites



tes haberent semper ad omne disciplinarum genus peritissimos duces doctissimosque magistros ? Quæ cum ita sint , jam finem dicendi faciam : at prius quantum potero , voce contendam , ut cuncti hoc exaudiant : Leo X. ex optimarum artium patrocínio jure & merito immortalis tot sæculorum fama vivit ; & tandiu profecto vivet celebritate gloriæ , laudatione grataque posterorum memoria immortalis , quandiu bonis artibus & decus & nomen & laudes manebunt.



D E

F E L I C I T A T E

V I R I L I T E R A T I

O R A T I O X I I .

*Habita Idibus Novembr. MDCCXLVII.*

**V**etus est & apud omnes fere homines pervagata opinio, forte sua contentum esse neminem. Etenim alter alterum beatum putat seque præ illo miserum, suasque res deterioris esse fortunæ conqueritur. Quamobrem miles fortunatos in primis mercatores, mercator vero milites beatos prædicat: agricola otium & comoda civitatis habet ante oculos, civis agrorum vitam placidam & procul a negotiis positam reputat beatissimam. Proinde fit, ut suæ quemque fortunæ pœniteat: nemo sibi in suscepto vitæ instituto placeat, sed alienam suæ præferat sortem, suaque feliciorē invidet: quemadmodum rem hanc Venusinus poeta in sermone primo ad Meccenatem elegantissime profequitur. At vero quanquam in terris, si verum fateri volumus, nulla sit rerum conditio, nulla hominum fortuna tam splendida atque opulenta, quæ absolutam possit plenamque hominis felicitatem.

tatem efficere, quam nimirum nobis in altera & immortalī vita Deus Opt. Max. in cœlo servatam voluit, ut proinde nemo unus in terris felix, nemo sit vere ex omni parte beatus; nihilominus dum mihi sapientis viri status ante oculos obversatur, dum omnem ejus vitæ rationem tacita cogitatione contemplor, mutata profecto opinione, hominem certe quidem beatum apud nos reperiri posse minime dubito. Ita plane auditores: ego equidem in hac sententia sum, hominem doctrinæ studiis deditum, hominem doctum, unoque verbo, hominem sapientem esse plane beatum, suaque sorte jure & merito haberi ac dici posse contentum. Hæreticæ animo & rem quasi omnino incredibilem vobis propositam esse putatis? Nequaquam. Sed si id mirum propter rei novitatem, aut minus probabile propter auctoritatem eorum, qui repugnant, vobis esse videatur, oro vos atque obtestor, ut ne me levitatis, aut erroris, indicta causa, damnare velitis, sed rationes & argumenta, quæ me in hanc sententiam pertraxerunt, benigne attenteque audiatis. Quod quidem si nunquam alias, hodierno die minime dubito, vos esse facturos: neque enim levis, neque vulgaris, at multo gravissima res agitur: illa scilicet vitæ felicitas, quæ nobis in hac ipsa, quam vivimus, vita contingere potest, & quam omnes tanquam maximum & extremum bonorum summopere expetunt & unice quarunt.

Neminem vestrum dubitare arbitror, quin vera mortalium felicitas in animi quiete ac tran-

quillitate potissimum sita sit . Sed qua tandem ratione eam quis assequi perpetuoque frui possit, non est communis atque una omnium sententia. Putant plurimi, immensis opibus congestis, sese beatissimos omnium fore, quod nimirum cuncta, ut ajunt, pecuniæ obediunt, quod opes hominem nihilo indigentem sufficientemque sibi faciant. Sed minime advertunt, quot molestias gravissimasque curas afferant opes illæ, quæ adimi, quæ amitti possunt, quæ denique in arbitrio ac potestate fortunæ positæ sunt. Taceo, quod nunquam satiatur, sed crescit in dies, cupiditatis sitis : atque animus hæc inhians nunquam id tantum habet, quo expleri queat, cum avaritiæ nihil unquam sit satis. Hinc Horatius Flaccus sapienter pronuntiavit : non possidentem multa vocaveris recte beatum . Alii vero pollicentur sibi felicitatem, si ad primariam aliquam dignitatem, si ad supremum magistratum iter sibi munierint . At, pro Deus immortalis, quæ res tam lubrica & incerta, quam quæ vel a multitudinis favore, vel a prepotentis hominis voluntate & gratia pender? Quam sæpe magnas spes & bene confirmatas una nox, aut aliqua parva rumoris aura subvertit? Non est in hac Urbe res nova oculis nostris, aut insolens. Quid vero homines illi, qui deliciis affluunt, qui gemmis auroque ornati, qui unguentis delibuti incedunt, ac somno luxuque perdit in otio ac quiete vitam ducunt, nonne tibi lauti ac beati esse videntur? Errat vehementer, errat, qui ejusmodi homines (si homines

nes magis quam pecudes dicendi sint ) tranquillam ac beatam vitam agere , sibi persuadeat . Anguntur illi sæpe animo ipsisque displicet , otio inertiaque marcescere ; & cum nihil splendidum , nihil se suisque majoribus dignum agere possint , vitam doloris ac molestiæ plenam traducunt . Cum igitur nec divitiarum copia , nec honorum splendor , nec vitæ mollioris otium , quæ bona plerique homines prima & omnium longe præstantissima putant , sinceram in animo tranquillitatem pariant , neque ex iis optata vitæ felicitas expeti possit ; quid aliud restat , nisi ut in sapientiæ studio , aut nusquam alibi , beatæ vitæ rationem consistere posse judicemus ? Hinc M. Cicero , quid est , inquit , per Deos optabilius sapientia ? Quid præstantius ? Quid homini melius ? Quid homine dignius ? Verum ut ad id , quod propositum est , propius accedamus , cogitate mecum , Auditores , quid tandem sit pax illa & animi quies , quam sapientis propriam esse dicimus , nisi hominem ab omni sollicitudine animique perturbatione vacuum esse & immunem ? Hoc autem consequi profecto , præterquam sapiens , nemo potest . Cum enim animus noster in duas veluti partes , ut philosophi volunt , divisus sit ; alteram rationis participem , alteram vero expertem & nobis cum brutis animantibus communem ; persæpe fit , ut in hac motus turbulentissimi , tum ad iracundiam , tum ad cupiditatem impellentes exoriantur , ex quibus permultæ aliæ aggritudines ac perturbationes , tanquam familiæ , in nos

derivantur : in quas nisi ratio , quasi dux & moderatrix , imperium teneat , in maximas calamitates gravissimasque ærumnas hominem delabi necesse est . Hinc enim odia , hinc livor , hinc ambitio , hinc sexcentæ aliæ teterrimæ pestes , quæ rationis jugum excutere , eamque de sede sua deturbare conantur . Unde autem homini in tanto rerum discrimine summoque periculo arripienda sunt tela ad infestissimos ejusmodi hostes confodiendos longeque propulsandos , nisi auxiliares sapientia manus viresque conferat ? Ita est profecto . Bonarum artium studia , philosophorum monita , historicorum exempla , musarum cantus , sunt quædam quasi propugnacula , quibus hostium impetum & aggressiones homo sapiens repellit . Proinde nullum tam triste infortunium , nulla tam acerba calamitas occurrit , ut vere possit ejus animi tranquillitatem perturbare . Cogitat enim quid forti & sapiente homine dignum sit : quid gravitas , quid animi magnitudo , quid vita hætenus præciare acta , quid literarum studia , quid denique publica dignitas abs se postulet atque in eo statu rerum efflagitet . Possent hoc loco tam ex vetere , tum ex recentiore historia infinita fere eorum exempla in medium proferre , qui e literarum sinu tantum quietis ac tranquillitatis hauserunt , ut asperissima quæque æquissimo animo tolleraverint . Non de Anaxagora , non de Dione , aut Xenophonte loquar , quos in acerbissimo filiorum funere nihil ingemuisse , nihil animo commotos fuisse , memoriæ proditum est .

Satis

tis fit ad memoriam vobis revocare Dionysium illum Syracusanum tyrannum, qui propter improbitatem e fastigio regiae dignitatis dejectus & in exilium pulsus, ad eam miseram conditionem redactus est, ut Corinthi pueros grammaticam doceret. Hic aliquando interrogatus, quid Plato, quid Philosophia tandem sibi profuisset, libere respondit: id sibi profuisse, ut jacturam regni & atrocitatem fortunæ placide tranquilleque perferret. O magnam doctrinae vim, quæ facit, ut tyranni quoque, quorum animus conscientiaë stimulis, tanquam ardentibus furiarum tædis agitari perpetuo solet, dulcedinem suam degustent curarumque levamen invenient. Sed fortasse Dionysius poenam illam æquo animo tolerabat, quam justam ac sceleri suo debitam esse intelligebat. Quid si homo innocens, imo spectatissimæ virtutis exemplum, bonis omnibus, honoribus, patria, carissimis filiis, vita denique spoliari se, summa animi tranquillitate summaque constantia spectet? Severinum Boethium dico, clarissimum illud Romanæ virtutis lumen, qui consulari dignitate, amplissimis opibus ac patria amissis, nihil est animo commotus; sed eadem mentis atque oris serenitate & diuturni carceris squallorem toleravit, & carnificis vultum telumque excepit. Erat ille Romæ ex illustri Torquatorum familia natus, Græcis ac Latinis literis ab adolescentia eruditus: erat Geometriæ studiis instructus, in Arithmetica, in Musica apprime versatus. Quicquid ex Logicæ artis subtilitate,

quicquid ex naturali scientia, aut morali disciplina fuerat ab Aristotele subtiliter obscureque literis traditum, summo ille ingenio, commentariis doctisque expositionibus illustraverat: cumque Ticinum conspiratione malorum a Theodorico Gothorum Rege relegatus fuisset, pulcherrimum illud de consolatione volumen conscripsit, in quo M. Tullium sibi proposuit, qui, ut extinctæ filiæ desiderium leniret, de animorum immortalitate disceptans, Tulliam vitæ superstitem comprobavit; ita Boethius de falso ac vero bono, tum etiam de providentia disputans, nihil sine divino numine mortalibus evenire declarat. At Ciceronem ipsum in eo superasse videtur, quod cum ille carmen non attigerit, Boethius, quo utile dulci misceret, rem tum oratione, tum carmine ita est prosecutus, ut ad utrumque sibi ingenium non defuisse demonstraverit. Ecce vobis in hoc clarissimo viro non adumbratam, sed expressam veram sapientis imaginem. Vidistis animi tranquillitatem incredibilem maximis curarum fluctibus minime perturbatam. Vidistis constantiam nullis adversis casibus perculsam, aut oppressam. Vidistis denique, quid possint doctrinæ studia ad assequendam mortalis vitæ felicitatem. Quemadmodum enim qui Olympi verticem attigerunt, procellas quidem & tempestates infra se positas vident, dum ipsi interea nullis ventorum turbinibus, nullis imbribus obnoxii sunt, imo semper eadem cæli facie eademque serenitate gaudent; ita sapiens turbulentissima quæque despiciens, semper quietus ac tranquil-



quillus, placidissima vitæ ratione perfruitur. Omnis quippe animi ægritudo levare potest suavissima meditatione literarum. Atque hinc est, quod Aristippus homines doctrinæ deditos non immerito Deorum simulacra nuncupaverit: quod nimirum, sicut illi sempiterna pace ac immutabili vitæ tranquillitate lætantur, ita sapientis animus in beatissimo literarum otio perpetuum conquiescit.

At dicet quispiam, si tanta literati hominis pax est, & tam firma animi tranquillitas, quid est, quod sæpe inter illos odia & contentiones acerrimæ de levissima etiam re, deque uno verbo excitentur, & maledicentissimis sese libellis invicem proscindant? Quis ignorat rixas & tragædias inter Laurentium Vallam & Poggium, inter Politianum & Merulam, inter Accursium & Budæum, inter Marinum & Murtulam aliosque permultos magni nominis literatos? Ut nihil loquar de acerbissimis inimicitiis, quas in Italia memoria nostra eruditi quidam inter se palam gesserunt. Imo, si quod res est, fateri volumus, ab ipsis fere literarum incunabulis, æmulatio, & superbiæ comes invidia, literatorum animos occuparunt. Etenim Homerum Zoilus etiam post ipsius fata; scriptis adversus eum libris, ausus est insectari, unde illi cognomen *Ὀμηροκίςτυρος*. Sic quoque Antiochus Lemnius Socrati, Cydon Pythagoræ, Xenophanes Colophonius Hesiodo, Amphion Cous Pindaro, Timocreon Simonidi, Asinius Pollio M. Tullio ob invidiam fuere quam maxime infensi. Ut taceam Rhemnium Polemo-

nem

nem Alexandrinum grammaticum, qui M. Varoni viro doctissimo tantopere invidit, ut illum acerbe reprehendere ausus fit, & non Varronem, sed Verrem per summum contemptum appellaverit. Darem profecto, Auditores, adversario manus victas, & caussa omnino caderem, nisi vos singulari mentis acumine & sapientia præditos cogitarem, qui veritatem a cavillationibus discernere optime nostis. Continent sane literarum studia in se sublime aliquid ac divinum, per quod non minus doctus ab indocto, quam a bratis homo distinguitur. Habent vero id cum ceteris rebus commune, ut quantum optimus earum usus utilis est, & ad vitæ felicitatem opportunus, tantum earum abusus ac perversa ratio reipublicæ noceat. Quid stomacho conducibilius, quam vinum? Quid tamen illius copia & ebrietate perniciosius, cui Lycurgus, quo viam prorsus intercluderet, vites omnes excidi imperavit? Quid humano generi ferro & igne ad omnem vitæ usum magis necessarium? Quibus nihilominus si ad populorum interneccionem & Urbium incendia homines abutantur, nihil est, quod magis noxium & exitiabile excogitari possit. Ita quoque nihil est doctrinæ studiis ad humanæ vitæ felicitatem opportunius, nihil ad extirpanda vitia, facesque cupiditatum restringendas magis aptum, si quidem illis probe utaris. Quod si eisdem ad gloriæ cupiditatem & ambitionem, si ad lites & jurgia homines abutantur, tantum abest, ut eorum animi tranquillitate perfruantur, ut potius inquieti, queruli & angoribus pleni in maximas

se calamitates impingant. Beata vita, inquit Seneca, sine virtute esse non potest: proinde miseri & infelices ejusmodi homines ad nos non pertinent. De homine quidem sapiente disputo, ut jam antea dixi, non de literatoribus, qui ætatem in litibus flocci æstimandis, in gerris & nugis, conterunt. Pernego vero illum esse, aut dici posse sapientem, qui sibi non sapit. Neque is sapere plane videtur, qui non intelligit, nihil esse homini invidia perniciosius magisque cavendum: nihil magis virum literatum dedecere, quam maledicentia, & alienæ laudis obtrectatio. Itaque longe abest a viro sapiente, de quo loquimur, amulatio, longe abest invidia, odium atque contentio, longe abest demum quicquid a leni placidoque animo prorsus abhorret.

At enim quod quispiam, sedatis animi motibus, curis vacuum & perturbationibus vitam ducat, eritne idcirco beatus? Profecto beatam vitam, ut M. Tullius ait, non depulsione mali, sed adoptione boni judicemus oportet. Itane? Quasi vero animum pace ac tranquillitate tanta frui, bonum maximum dicendum non sit, ac ceteris omnibus præferendum. At quis adeo rudis, adeo rerum omnium ignarus existit, ut nesciat, quanta sit semperque fuerit hominum literatorum gloria, quanta dignitas & amplitudo, quæ, ut corpus umbra, illos consequitur? Quis ignorat, ejusmodi bona sapientiæ studiis constituta semper fuisse, quasi fundum avitum & amplissimum patrimonium?

Sunt

Sunt hæc per se clara , neque in iis opus est argumentis , aut tempore abuti . Plenæ sunt historiae , pleni literarum annales . Verum non opes , non honores , non dignitates , non gloria , non triumphi comparandi ullo modo sunt cum ea felicitate , quæ solet ex optimis studiis uberrime degustari . Te , Cæsar Auguste , testem appello , qui imperio terrarum potitus , perduellibus profligatis , ferocissimis nationibus domitis , tot clarissimis triumphis actis , totoque Orbe pacato , maximam potentiam adeptus , & in altissimo gloriæ fastigio positus , nihilominus de fortuna sæpe conquestus es , quod ea vitæ tranquillitate careres , qua homo privatus in literarum otio perfruitur . O incredibilem literarum vim , o singularem doctrinæ suavitatem , quæ sapientissimi viri iudicio longe præstat immensis opibus , & victoriis omnibus ac triumphis est omnium maxime anteferenda . Sed hæc Augustum quasi ad emphasin pronuntiassè , forte quis suspicetur . Non ita profecto . Nam ceteræ omnes tum animi , tum corporis voluptates habent sua tempora , certasque periodos , quas ultra progredi minime possunt . Venatio , palestra , ludus aliæque oblectationes plurimæ , quibus juvenilis ætas tantopere gaudet atque exultat , pariunt senectuti molestiam . At vero firma perpetuoque stabilis est suavissima voluptas , quæ ex doctrinæ studiis degustatur . Imo tantum abest , ut quæ delectatio in discendo sentitur , ingravescente ætate , minuatur , aut satietatem tædiumque afferat , ut experimento potius

tius constet, eam in dies augeri, & maiorena  
 fui semper in animo cupiditatem excitare. Ete-  
 nim ex annalium memoria accepimus, sapientes  
 fere omnes etiam ætate longævus ad extremum  
 usque spiritum doctrinam in amore ac deliciis  
 habuisse. Gorgiam quidem Leontinum Isocratis  
 magistrum legimus, ad centesimum & septimum  
 ætatis annum doctrinæ studio nunquam abstinuis-  
 se. Isocrates autem, quem eloquentiæ patrem  
 Cicero appellare solitus est, sex & nonaginta  
 annos natus orationem panegyricam scripsit, &  
 ad nonum usque & nonagesimum, in quo e vi-  
 ta decessit, rheticam docuit. Carneades quo-  
 que, cum esset nonaginta annorum, non prius  
 philosophandi, quam vivendi finem fecit. Quid  
 vero Plato ille divinus, qui octogesimo ætatis  
 anno in scribendo defixus, mortuus est? De quo  
 illud merito dixerim, quod Valerius Maximus  
 de M. Varrone sene pronuciavit: in eodem  
 lectulo & spiritus ejus & egregiorum operum  
 cursus extinctus est. Neque minorem e doctri-  
 næ studio voluptatem perceperunt sanctissimi PP.  
 Gregorius Nazianzenus, Basilius, Hieronymus,  
 Ambrosius, Augustinus aliique inter Græcos &  
 Latinos sexcenti, qui in literis canescere ad sum-  
 mam senectutem, eundemque sibi vitæ ac do-  
 ctrinæ terminum esse voluerunt. Silentio præte-  
 reo, ne in dicendo longior sim, innumeros fe-  
 re recentioris memoriæ viros, sapientia & eru-  
 ditione clarissimos, qui nuper in Italia, in Ger-  
 mania, in Gallia aliisque Europæ regnis floue-  
 runt: quos integram & bene longam ætatem in  
 opti-

optimis studiis exegisse, plurima illa & immortalia, quæ nobis reliquerunt volumina, satis superque testantur. Verum quid longinqua, aut externa conquirimus, cum domesticum nobis ante oculos, clarissimumque hujus rei obversetur exemplum? Nemo vestrum ignorat, quot quantosque studiorum labores Benedictus XIV. Pont. Max. jam inde ab adolescentia suscepit, & quantopere se in doctrinæ studia ingurgitaverit. Ego quidem, ut verum fatear, hac de re olim minime mirabar pro eo, quo maxime pollet ingenio, tum etiam quod ætate tunc florens, & virium robore firmior esset. Huc accedit, quod in ea studiorum genera incumbere deberet, quæ munerum abs se susceptorum ratio postulare videbatur. At vero quid illi opus fuit, ut ubi primo Anconitanus Episcopus, deinde Archiepiscopus Bononiensis renunciatus est, nihil omnino de iis, quæ ad optimum Ecclesiæ pastorem pertinent, omittens, se tantum sacris studiis daret, quantum plurima ejus volumina de Canonizatione Sanctorum recte instituenda, sæliaque multa de Ecclesiasticis ritibus & institutis divulgata typis nos docent? Quid postea? Pontifex ipse Maximus factus, cum jam sextum supra sexagesimum ageret annum, Romanam Ecclesiam septem jam annos sapientissime gubernavit: at quanta interim, Deus immortalis, contentione perpetuoque labore studiorum? Quem diem procul a libris studiisque traduxit immunem? Quot sanctiones Apostolicas, quot encyclicas epistolas, quot decreta saluberrima pro Ecclesiastica

di-

disciplina, aut restituenda, aut facta tecta servanda solus ipse unus commentatus est, ordinavit, perscripsit? Jam inde tot prodierunt volumina sacrae eruditionis & antiquitatis plena, ut non ab uno homine, summa jam senectute confecto, & infinitis prope Christianae Reipublicae negotiis impedito, sed a multis potius, vel ab eo, qui viribus integer sit, & otio plurimo abundet, profecta esse videantur. Cum igitur sapientissimus Pontifex nullum alium sibi de Pontificatu fructum decerpserit, praeter ingens istud perpetuumque doctrinae studium, quis tandem non intelligit, quam magna sit ac pene incredibilis doctrinae ipsius voluptas, quam neque annorum diurnitas, neque imbecillitas senectutis, neque ipsa denique mentis lassitudo minuere potest? Ita est profecto. Dicam voce qua maxima poterō: doctrinae studia nullum tedium, nullam afferunt satietatem; imo semper augetur inexplebilis eorum sitis & immensa cupiditas. Contra vero honores amplissimi, & suprema ipsa domnandi ratio, quam propter, si jus violari fas est, maxime violandum esse Julius Caesar affirmare ausus est, tot curas & angores animo creat, ut in omni fere aetate summi reges clarissimique imperatores, tranquillioris vitae causa, sese imperio abdicare non dubitaverint. Proinde mirandum non est, quod literati hominis tranquillitatem & otium Augustus adeo cuperet, adeo doctis invideret, ut mallet inter eos privatum agere, quam orbi terrae universo imperitare.

Quae cum ita sint, jam satis intelligitis, sapien-

piensis vitam esse omnium longe felicissimam, eamque opibus & triumphis & gloriæ summorum imperatorum jure & merito esse anteferendam. Exulant enim sapientis animo perturbationes ac vitiorum teterrimæ pestes, quæ mortalium felicitatem ac dulcissimam pacem usquequaque perturbant. O fortunatos nimium sapientes. O viros plane beatos, qui procul a cæcis cupiditatibus scelerumque tumultu semoti, in placidissimæ vitæ statione quiescunt. Quis tantam illis, ac tam stabilem felicitatem non invideat? Quis eisdem sorte sua vere contentos esse non arbitretur? Utinam vobis, Adolescentes optimi, hoc ipsum unum beatissimæ vitæ genus experiri tandem aliquando liceat. Utinam vos diligenti intentoque doctrinæ studio eo demum perveniatis, ut id, quod dicimus, revera ita esse intelligatis; nimirum inter varias & molestissimas hujus mundi curas, inter gravissimas humanæ vitæ sollicitudines, solum sapientem esse beatum.

**F I N I S.**



## I N D E X

## RERUM ET VERBORUM

*Numerus Romanus sive Major Tomum indicat,  
Minor sive Arabicus paginam.*

## A

- A** Cademia Viennensis a quo fundata I. 196.  
 . . . . . Parisiensis a quo fundata, & instaurata  
 I. 196.  
 Accursius, an barbare scripserit I. 97.  
 Actionis in peroratione vis I. 131.  
 Adolescentes, quantum nimia laus his noceat II. 74.  
 Adrianus, V. Hadrianus.  
 Ægyptii, eorum delubra qualia II. 67.  
 Albana domus, literarum altrix I. 21. & *seq.*  
 Albani (Alexandri) laus I. 1. *seq.* Paulini Discipulus  
*ibid.*  
 Albani (Annibalis) laus I. 21. literarum amor *ibid.*  
 liberalitas in Urbinatense Collegium *ibid.* in Schola-  
 rum Piarum Ordinem *ibid.*  
 Alexander Magnus Chœrilum malum poetam benefi-  
 ciiis cumulat II. 5.  
 Alexander Severus, quanti doctos fecerit II. 147. quo-  
 modo liberalitatem vocaverit II. 149. *seq.*  
 Alfonsus Hispaniæ Rex, quanto jure literas amaverit  
 II. 92.  
 Alvarus (Hemmanuel) ejus grammatica omnem Scien-  
 tiam comprehendere dicta II. 83.  
 Amicitia quid ad eam requiratur II. 129.  
 Amoris vis I. 159.  
 Animus, nobiles magis & frequentius ejus emotiones  
 patiuntur, quam qui e plebe sunt II. 103. ejus tran-  
 quillitas in quo consistat. II. 165. ejus motus perni-  
 ciosissimi *ibid.* ejus tranquillitas ad bonarum litera-  
 rum Studium necessaria II. 129. eadem cura & feli-  
 citas II. 163. ejus emotio literis vincitur II. 138.  
 Tom. II. M ejus

- ejus perturbationum vis & furor II. 141. quomodo hæ sedandæ *ibid. seq.*
- Antonianus (Silvius), doctrinæ, & ingenii ope dignitates consequitur II. 100.
- Antonius M. totius eloquentiæ basin imitationem dicit II. 19.
- Apparatus Biblicos qui ediderunt II. 82.
- Aphthonius, de laudibus poetices commentatur. II. 36.
- Apollonii Alabadenfis, in elegendis ingeniis studium I. 179.
- Aquilius C. eloquentia valens II. 8.
- Archidamus, cur Geriandrum objurgaverit? I. 185.
- Areopagitarum decretum de eloquentia I. 121.
- Aristarchus quot libros scripserit? I. 160.
- Aristippi dictum de indoctis I. 75. quomodo doctrinæ deditos nuncupaverit? II. 169.
- Aristoteles quot annis Platonem audiverit I. 157. II. 75. ejus dictum de mente humana I. 176. de oratore sententia I. 122. & de eloquentia I. 129. multos scripsit libros I. 160. num recentiores ipsi præferendi? II. 80. quænam in administranda Repub. maxime necessariam existimaverit? II. 11, & *seq.* & 107. ejus eloquium II. 7. ejus in eloquentiam merita II. *ibid.*
- Aritmetica puerorum ingenium Pythagora explorabat I. 187.
- Arrogantia inscitæ comes I. 84.
- Artaxerxis Longmani munificentia I. 194.
- Artes vanæ & ludicræ quæ sint? II. 99. bonarum cum ignorantia bellum II. 60. bellum earundem cum literatoribus atrocissimum II. 61. præcipuum earum commodum quod homines ab obscuro loco in publicam lucem producant II. 100. eorum dignitas certis terminis definiri vix potest II. 137. earum vis contra perturbationes animi II. 165. quomodo iis abutamur II. 170.
- Ascellius (Gaspar) lacteas venas invenit II. 51.
- Astrologia Medicis utilis I. 143.
- Auctores qui vitandi I. 2. 16. qui legendi I. 18. *seq.*
- Auctorum veterum lectionis utilitas I. 2.
- Augusti domus poetis patens I. 39. ejus liberalitas II. 154. se beatum non esse confitetur II. 172.
- Augustini sententia de festinatione I. 148.

## B

- B** Aelii (Petri) testimonium de Leone X. I. 196. notatus *ibid.*
- Bailletus (Adrianus) de ingeniis præcocibus scripsit I. 159.
- Balbus (L. Luc.) eloquentia præstans II. 8.
- Balduini (Franc.) laus I. 96. in institutiones commentarius I. 97.
- Baldus, an barbare scripserit? I. 97.
- Barberius (Corn.) de literatorum infelicitate commentatur II. 93.
- Bartolus, an barbare scripserit? I. 97.
- Basius (Io:) ICTus vanitas ejus & jactantia II. 65.
- Beatus quis verè sit, & quis non sit? II. 171. nemo ex omni parte II. 162.
- Bellinus (Laur.) rerum structuram & usum ostendit II. 52.
- Bellum ignorantia cum optimis disciplinis II. 60.
- Bembus (Pet.) ejus de imitatione judicium II. 19.
- Benedicti XIII. Laudes I. 200.
- Benedicti XIV. laudes II. 97. ejus labores & scripta II. 174. aliæ ejus laudes II. 111. & 112. & *seq.*
- Beneficium, quod maximum? I. 67. Beneficiis imperium melius quam armis conservatur II. 179. & *seq.* ad posteros, bene est, ubi se extendunt II. 137.
- Bias, ejus de ventosa sui opinione judicium II. 56.
- Boetius (Sever.) ejus eruditio II. 167. quem ex Philosophia fructum hauserit? II. 168.
- Bonifacius VIII. studiorum formam Romæ præscripsit I. 65.
- Borelius (Alfon.) musculorum motum docuit II. 52.
- Brutus (Mar. Jun.) de ejus eloquentia judicium II. 22. quam Ciceronem culpet *ibid.* & *seq.*

## C

- C**Æcilius, cursus integros ex ipso suis orationibus immiscet Cicero II. 44.
- Cælius (M.) defensio a Cicerone II. 44.
- Cisalpinus (Andr.) sanguinis periodum invenit II. 52.
- Cæsar (C. J.) quid de delectu verborum censerit? I.

128. quanti Ciceronis fecerit eloquentiam II. 140. e-  
 jusdem eloquentia victus II. 144.
- Cagnolus (Belmot.) ejus vanitas ridicula II. 65.
- Cajetanus V. Vio.
- Caligola (C. Cæsar) ejus in bonas literas bellum stul-  
 tissimum II. 62.
- Calvus (Licin.) de principatu Eloquentiæ cum Cicero-  
 ne contendit II. 21.
- Cani (Melch.) sententia de Theologis I. 149.
- Carneades, ejus de nobilium, divitumque studiis judi-  
 cium II. 75.
- Carvialis, simulates cum Romana Ecclesia I. 192. a  
 Leone X. in gratiam receptus I. 173.
- Cato bonus esse quam videri mavult I. 21.
- Catonis legendi studium I. 161. de festinatione dictum  
 I. 153.
- Cato (M. Por.) quid ab Oratore requirat? II. 118.  
 eloquentiam mirum in modum adamavit II. 8.
- Celsus (Corn.) quam fuerit eloquentiæ studiosus II. 9.
- Choerilus malus poeta Alexandro M. Carus II. 5.
- Chryssippi Stilus qualis? I. 129.
- Chrystomus (Dio), Menandrum commendat & Eu-  
 ripidem II. 46.
- Ciampolus (Jo.) ingratus & superbus sua ipsius culpa  
 infelix II. 131. quam ridicule Virgilium & Horatium  
 carpat? II. 65.
- Cicero (M. T.) cur in judiciis regnare dictus I. 117.  
 cum Platone errare mavult I. 38. ejus laus I. 95. &  
 II. 6. & seq. II. 15. ejus judicium de Isocratis &  
 Platonis oratione I. 124. ejus stilus qualis? I. 124.  
 quomodo se in Cluentiana causa gesserit I. 129. ejus  
 industria I. 160. ejusdem in eloquentiam merita II.  
 15. ejus imitatio est ad eloquentiam via brevissima,  
 eademque optima II. 15. stilus ejus Asiaticus II. 17.  
 a quibus & quare culpetur? II. 19. & seq. num sol-  
 lus sit imitandus & quare? II. 24. in uno ipso pul-  
 cherrimum, & perfectissimum eloquentiæ genus ha-  
 bemus II. 26. ipse alios imitatus est II. 27. sed idem  
 eadem felicitate efficere non datur omnibus II. 27.  
 num verbosus nimis fuerit? II. 31. negatur illud de  
 plerisque ejus scriptis *ibid.* quantum ex poetis fructum  
 in

- in eloquentia tulerit? II. 39. hinc & cum ipſus ſtudio poetarum lectio, ipſo Cicerone auctore, ſedulo erit coniungenda II. 42. ejus pro M. Cælio orationis argumentum & de eadem iudicium II. 43. & ſeq. unde juris ſcientiam hauriendam dicat? II. 84. patriiſ ignorantiam exprobat II. 103. de ejus moribus virtutibus & vitiis iudicium II. 120. viri boni nomen maxime commendat II. 132. a Cæſare in gratiam recipitur II. 140. ex philoſophia conſolationem haurit II. 141. quomodo Cæſarem iracundum lenierit II. 144.
- Ciconia (Stroz.) ejus de Sympatia ſtultiſſimum opus II. 70.
- Clemens V. literas Hebraicas Arabicas Caldeasque Romæ inſtituit I. 65.
- Clemens XII. ejus in rem literariam merita II. 5.
- Clementiæ vis I. 171.
- Clementis XI. Pontificis laus & eruditio I. 20. ſeq. & 43. in literas favor I. 36. ſeq. 42. in Scholarum Piarum ordinem beneficentia I. 43. ejus liberalitate Architectura, & pingendi ſculpendique facultates Romæ reſtitutæ I. 78. ejus eruditio cum virtute conjuncta I. 86.
- Ciſalpino (Andrææ) ſanguinis periodum debemus II. 52.
- Contentiones inter literatos ortæ II. 169.
- Contentus nemo eſt ſua forte II. 162.
- Copia dicendi num reprehendenda? II. 23.
- Cosmus Medicæus pater patriæ cur appellatur? I. 167.
- Cræſſus (L.) eloquentia inſignis II. 8. ejus de omni eruditione iudicium II. 83.
- Cuiacii (Jac) iudicium de digeſtis I. 96. ejuſdem laus & ſtilus elegans I. 110.

## D

- D** Electus verborum quem uſum habeat? I. 128.
- Delubra Ægyptiorum quid fuerint? II. 67.
- Demoſtènes ejus incredibilis diligentia I. 8. ejuſdem natales I. 27. ejus dictum de actione I. 131. artium bonarum beneficio famam & opes aquirit II. 100. interdum Ciceroni dormire videtur II. 20. de ejus moribus iudicium II. 120. & ſeq.
- Deſidia I. 75. cur in eam nulla lex conſtituta? I. 72.

- Didymus Alexandrinus quot volumina scripserit? I. 160.  
 Digestorum laus I. 95.  
 Dignitas etiam in oratione cordi nobis esse debet II. 3.  
 Diligentiae vis I. 178.  
 Diogenis dictum de explorandis hominibus I. 184.  
 Dionysius Siracufanus, quid philosophia ipsi profuerit?  
 II. 167.  
 Discendi via, quae optima? I. 155.  
 Disciplinae, cultus earum & decor nostra aetate minime  
 negligendus II. 5. earum splendor, usus, & dignitas  
 II. 49. quid circa eas vitandum? *ibid.* quanta sit cu-  
 jusque amplitudo? II. 50. earum inter se nexus &  
 intima conjunctio II. 44. earum difficultas II. 59.  
 quid ad eas requiratur? II. 119. arctissimam habent  
 cum virtute necessitudinem *ibid.* accedat iis, necesse  
 est, morum gravitas & prudentia II. 132. earum cum  
 ignorantia bellum II. 60. earumdem victoria & trium-  
 phus *ibid.* earumdem contemptus sciorum numerum  
 auget II. 78. num uni soli opera danda ceteris ne-  
 glectis? II. 81.  
 Divitiae num felicitatem praebent? II. 164.  
 Dicendi methodus quae optima? I. 1.  
 Doctrina, sine virtute exitium causatur II. 132. quan-  
 tum valeat? II. 138. 139. & *seq.*  
 Doctus qui jure dicatur? II. 56.  
 Domitianus Caesar quantum in literas saevierit II. 62.

## E

- E**cclēsia, ad ejus munera dignitatesque quid requira-  
 tur? II. 109.  
 Elegancia in oratione requiritur II. 4. *seq.* ejus negle-  
 ctus eruditioni quoque, & eruditis nocet *ibid.*  
 Elocutio ad orationes a poetis est profecta II. 42.  
 Eloquentia quis? I. 124.  
 Eloquentia quid? I. 121. an in defectu verborum qua-  
 renda? I. 128. ejus virtus quae precipua *ibid.* utilitas  
 I. 4. in foro olim interdicta & judiciis I. 122. usus  
 ejus hodie in foro I. 131. Hug. Grotii de ea senten-  
 tia I. 127. in ea cur pauci excellant? I. 8. etiam o-  
 lim in foro usitata I. 119. eloquentia naturalis qua-  
 lis?

- lis? I. 132. magno constat labore I. 151. cum aliis & gravioribus disciplinis conjungenda II. 1. veterum in ea merita II. 6. pernicioſa in homine nequam II. 118. quantum diſtet a loquacitate II. 12. ſine ea nemo olim ſapiens habebatur II. 14. maxime expeditum ad eam iter *ibid.* ejus baſis imitatio II. 18. & præcipue Ciceronis II. 19. poetarum etiam ſtudium ad eam multum confert II. 35. *ſeq.* ejus ſplendor & decus ab elocutione potiffimum proficiſcitur II. 42. homini eccleſiaſtico neceſſaria II. 110. in quo ejus viſ poſita ſit? II. 119. quomodo ab Euripide vocata? *ib.* Plinii de ea judicium II. 121. in homine malo diu non poteſt conſiſtere *ibid.* ejus viſ II. 144.
- Ennius (Q.) quomodo iracundiam vocaverit? II. 144.
- Erythraeus (Jo. Nic.) II. 64.
- Eruditi an magiſtratuſ gerendo apti? I. 82. cur noſtra ætate pauciores? I. 158.
- Eruditio multis virtutibus conjuncta I. 82.
- Evander in Latio imperium tenuit II. 139.
- Euclidis diſcendi cupiditas I. 157.
- Eugenius IV. P. R. ejus liberalitas 158.
- Euripides ejus natales I. 27. ab Archelao Macedoniae rege altus I. 28. quomodo eloquentiam vocaverit? II. 119.
- Euſtachius (Bart.) glandulas renum invenit II. 52.
- Excellentes in arte aliqua facile patronos inveniunt I. 37. & 41.

## F

- F**ascinum, homines in Africa illum circumferentes II. 76.
- Faſtinatio ſtudioſis noxia I. 137. de ea ſententia Auguſtini I. 148.
- Fortitudinis præmia apud Romanos ſumma I. 32. qui ea deſcripſerint *ibid.* cur inſtituta? *ib.*
- Franciſci I. Regis Gallia in eruditos amor I. 197. Aca-  
demiam Pariſienſem inſtaurat I. 19.
- Franciſcus Maria Urbini Dux ſedulus literarum cultor II. 92.

## G

- G** Alenus (Claud.) ejus in eloquentiam merita II. 9.  
 ejus dictum de studiis I. 78. Astronomiæ deditus  
 I. 143. multos scripsit libros I. 160.  
 Gellius (A.) verborum forensium interpres I. 100. ejus  
 in Ciceromastigas sententia II. 23.  
 Geometria, Litteratoris cujusdam de ea sententia II. 77.  
 Glossaria qui scripserint? I. 129.  
 Gonsaga (Sil. Val.) ejus laudes II. 113. & seq.  
 Gorgias Leontinus quamdiu literis operam dederit? II. 173.  
 Græcarum literarum usus in Medicina I. 143.  
 Græci eloquentia delectati I. 93.  
 Grammatices abusus I. 139.  
 Gregorius Nazianzenus quomodo fabulam de Orpheo sit  
 interpretatus? II. 138.  
 Grotii (Hug.) ingenium præcox I. 151. ejus de jureconsul-  
 tis sententia I. 127. ejus laus *ibid.*  
 Gymnasium Romanum ejus instituendi consilium II. 58.  
 Gyraldus (Lilius) II. 47.

## H

- H** Adrianus Cæsar literas amat, literatos odit I. 93.  
 ejus liberalitas II. 93.  
 Harveius (Gedeon) sanguinis periodum invenit II. 52.  
 Heinlii (Dan.) ingenium præcox I. 151.  
 Hermogenes optimè poetices laudes prædicavit II. 36.  
 Herodoti sententia de vera nobilitate II. 102.  
 Hieronymi studium legendi I. 160.  
 Hippocrates astrologiæ studiosus I. 143. ejus in eloquen-  
 tiam merita II. 9. probitatem a medicis requirit II.  
 125. & seq. ejus de studio medico judicium II. 56.  
 Historia Sacra quam necessaria sit II. 110.  
 Homeri laudes II. 36. eum Zoilus infectatur II. 169.  
 Homo, quo ab animantibus ceteris discernatur? I. 75.  
 ejus corporis studium quam late pateat? II. 51.  
 Honores cur mores mutant? I. 166. seq. num felicitatem  
 præbeant? II. 164. quid noceant? II. 175.



Horatius, ejus de litteratoribus sententia II. 67. ejus laudes II. 41.  
 Hotomanni ( Francisci ) filius elegans I. 110.

## I

**I**gnari quid? I. 75. in eos nulla lex nulla poena constituta. cur? I. 72.  
 Ignorantiae vitia. I. 84. ejus cum optimis disciplinis bellum I. 160. quantum ejus tela nocuerint? II. 61.  
 Illiteratorum infelicitas, quae maxima I. 74. *seq.* & 79.  
 Imitatio minime in literis de medio tolenda II. 18. Multo minus in eloquentiae studio *ibid.* difficillima multorum imitatio, melior unius II. 29.  
 Immortalitatis studium insitum I. 64.  
 Impunitatis spes est peccandi licentia II. 103.  
 Indocti, quid? I. 75.  
 Ingenia, an hac aetate deteriora? I. 156. non omnia litterarum studiis apta I. 177. eorum varietates I. 179. metallis a Platone comparata I. 181. eorum delectus habendus I. 183. de praecocibus quis scripserit? I. 159. optima etiam multiplici labore ad litterarum cognitionem solidam perveniunt II. 55. ingenii sui vana fiducia quantopere homines seducat. II. 75. eorum similitudo grata II. 129. mediocria interdum summis honoribus ornantur II. 132.  
 Innocentii XIII. laus I. 163. beneficentia *ibid.*  
 Inscriptionum barbaries recentium, si cum antiquis comparentur. II. 68.  
 Iovii ( Pauli ) de Leone X. testimonium II. 152.  
 Iracundia, ejus vis & furor II. 142. quomodo vincatur II. 142. quomodo ab Ennio vocata? II. 144.  
 Isocrates quale Nicocli monitum dedit II. 151. Senex docet rhetoricem II. 173. dictum de ingeniis felicibus I. 179. ejus oratio qualis? I. 124.  
 Italia, ibi Poetae bonas literas veteri splendori restituere II. 47.  
 Iudice ( Nic. ) ejus laudes II. 135.  
 Iudicem corrumpat quis?  
 Iulii II. pacis studium I. 191.

- Iulianus** apostata Christianis studium literarum interdicit I. 53.  
**Iurifconsulti** eloquentia instructi, qui fuerint I. 144. *seq.*  
 stili elegantia qui præditi fuerint. I. 98. *seq.* 129: & *seq.*  
 an ipsis noxia I. 111. iudicia de iis. II. 146.  
**Iuriscivilis** amplitudo I. 145. jus civile & canonicum ab  
 Innocentio IV. institutum I. 65.  
**Iurisprudentia** cum omni literarum genere conjuncta I.  
 103. ad hanc morum probitas requiritur. II. 124.  
**Iurisprudentia** num sola doctum & sapientem faciat?  
 II. 83.  
**Ius Romanum**, iudicium de eo II. 86. a quibusnam quasi  
 ab orco revocatum & illustratum? *ibid.*  
**Iuvenes** nimia laude corrumpuntur II. 73. *seq.*

## K

- K** Appius (Io. Erhardus) vide quid de Paulino asse-  
 rat in præfatione.  
**Knittelius** (Gaspar) lepida ejus versus cujusdam Virgi-  
 liani interpretatio II. 68. ejus arrogantia *ibid.*

## L

- L** Aboris vis I. 10. & 185.  
**Lacedemonii** cives suos statim a pueris silentio  
 coercuerunt II. 78. quam studiorum rationem inie-  
 rint *ibid.* hujus cum nostra comparatio *ibid.*  
**Lascaris** (Jo.) Bisantinus a Leone X. Romam vocatur  
 I. 198.  
**Lateranense** concilium I. 57. 172. 192.  
**Latina** lingua, quot vigilias & labores ea postulet? II.  
 52. auctores de eadem II. 53. ejus necessitas II 109.  
*seq.* latine nescire turpe I. 94.  
**Latini** Sermonis cultores I. 13. *seq.* ejusdem studiosi ju-  
 risconsult I. 93. & 98. 144. & *seq.*  
**Latinitatis** impuræ origo, unde? I. 11. *seq.* an metho-  
 do docendi tribuenda? I. 14. an inopiæ magistrorum  
*ibid.* librorum impurorum lectioni maxime tribuenda  
 I. 15.  
**Laurentium** Mediceum, cur Italiæ deliciæ dictus? I. 167.  
 Laus

- Laus nimia adolescentes corrumpit II. 74. ejus amor nimius quantum noceat? *ibid.*
- Lectio sine delectatione qualis? I. 128.
- Leges primis temporibus unde ortæ, & quomodo? II. 139. eorum utilitas I. 62.
- Leo X. P. M. Romanum Archigymnasium restauravit I. 35. & 49. & *seq.* viros eruditos arcessivit I. 55. 62. 174. 193. Lateranense Concilium complevit I. 57. 102. 172. Romæ optimas artes instauravit I. 174. ejus in ædificando studium I. 66. multas leges sancivit *ibid.* ejus liberalitas I. 165. 174. magnanimitas I. 165. Sapientia & prudentia I. 166. *seq.* ejus majestas cum amore conjuncta *ibid.* ejus familia I. 167. & majores *ibid.* ab Innocentio VIII. Card. creatus *ibid.* 169.
- Legatus totius Etruriæ. I. 167. exercitui a Julio II. præfectus I. 169. ab exercitu adamatus *ibid.* captivus Mediolanum ductus I. 170. quanto plausu Pontifex renunciatus I. 171. ejus clementia I. 173. nuncios & epistolam ad abissinorum Regem & Moschorum ducem misit *ibid.* Statua ipsi marmorea decreta I. 174. ejus celebritas I. 175. in literatos favor I. 189. 195. literas promovendi studium I. 195. ei debentur libri V. Annalium Taciti I. 197. & *seq.* Bibliothecam Vaticanam amplificavit, & aperuit I. 198. Græcos professores Romam vocavit *ibid.* ejus laudes II. 88. ejus erga literas & literatos studium & voluntas II. 90. ipse literis operam dedit sedulo II. 90. purpuratus renunciatus juris scientiam didicit II. 91. ejus in literatos munificentia II. 92. Gymnasium Romæ extruendum curavit II. 94. ejus laudes ex liberalitate in literarum cultores ortæ II. 148. ejus educatio, majorum ejus laudes II. 151. gentis ejus calamitas II. 150. ipse cum esset purpuratus tristia fata II. 152. qualem se Pontifex gesserit? II. 153. ejus constantia II. 154. ejus in Romanum Gymnasium merita II. 157.
- Liberalitas, digna principe laus II. 149. ea interdum principes abutuntur. II. 150.
- Libido, ejus vis & furor II. 141. quomodo vincatur? II. 143. & *seq.*
- Libri, eorum titulos & indices tenere viri docti laus non

- non est. II. 56.
- Licinius Imp. literis infestissimus II. 62.
- Ligarius (Q.) quomodo in gratiam cum *Cæsare* redierit? II. 144.
- Literæ humaniores summo constant labore. I. 9. 31. 110. ab *Italis* exultæ I. 129. earum amplitudo I. 154. utilitas I. 4. 52. 53. 57. 112. in *jurisprudencia* cum primis I. 126. earum amor in majoribus I. 7. earum fautores I. 27. 81. earum profectus quid impediatur? I. 7. quid promoveat I. 34. & *seq.* 155. an *mecenatum* penuriæ tribuendus ejus neglectus? I. 25. 26. 30. 35. duabus causis adscriptus I. 7. qui iis excelluerint I. 41. earum in animis hominum imperium II. 138. earum sub *Leone X.* felicitas II. 155. quomodo iis abutamur II. 170. arctissimus elegantiorum cum gravioribus disciplinis nexus II. 1. earum necessitas II. 2. & haud magna difficultas II. 2. cum arte *Poetica* conjunctio II. 37. earum impedimenta II. 49. sunt virtutis parentes vitiorum expultrices II. 103. earum osores quam parum contra illas proficiant? II. 62. num *juris* studioso noceant? II. 86. earum studia magis adhuc necessaria sunt qui divitiis affluunt quam iis qui mediocri fortuna utuntur II. 100. vera sunt nobilitatis ornamenta II. 102. qualis earum cum nobilitate necessitudo II. 102. quot labores & studia postulent? II. 89. sunt & consilii duces, & imperandi magistræ II. 107.
- Literati quam a Principibus foveantur? II. 89. Multorum infelicitas II. 62. auctores de eadem II. 63. eorum de variis & ludicris rebus frequentes & turpes contentiones II. 75. quæ causa infelicitatis eorum? II. 130. eorundem auctoritas II. 146. quæ causa rixarum inter illos? II. 169.
- Loquacitas, ejus descriptio, quantumque inter illam & eloquentiam interfit? II. 12.
- Loquendi purgate facultas qua ratione discatur? I. 15.
- Lucretium virum sapientem definiit II. 12.
- Lucullus literatorum familiaritate delectatus I. 21.
- Ludovicus XIV. Galliarum Rex, judicium de ipso II. 89.
- Lyfias, ejus eloquentia. II. 7.

## M

- M** Agistratus quid ab iis requiratur? II. 107. *seq.*  
 non alieno consilio uti debent II. 109.  
 Majores nostri quam solliciti essent ne tempus ammitterent I. 11.  
 Malpighius ( Marcellus ) pulmonis structuram & usum monstravit II. 62.  
 Manlius (Torquatus) cur imperium recusaverit? I. 83.  
 Marinus (I. B.) ingrattissimus homo II. 131.  
 Maximilianus, Cæsar, literatos amat I. 197. Viennensem academiam erexit *ibid.*  
 Medici præstantes I. 144. judicia de iis II. 146.  
 Medicina, provincia ardua I. 144. quanta ejus difficultas & amplitudo? I. 144. quibus literis originem debeat? I. 143. quibus juvetur Studiis *ibid.* morum probitas ad illam requiritur II. 124. quæ labore & processu temporis innotuere? II. 51.  
 Menander pueris olim ediscendus dabatur II. 45. & *seq.*  
 Menkenius (I. B.) laudantur ejus in sciolos declamationes II. 70.  
 Mens humana cui ab Aristotele comparata? I. 170.  
 Metroclis dictum de literis I. 10.  
 Mirandulani (Pici) ingenium præcox I. 151.  
 Mitylenæorum in victos pœnæ I. 53.  
 Morbi an ex astris dijudicandi? I. 143.  
 Mores corrupti literis emendantur. II. 103. eorum integritas ad omnes disciplinas est necessaria II. 119. eadem fidem facit. II. 127.  
 Mureti (M. Antonii) eruditio I. 41. is a Gregorio XIII. Romanus vocatus *ibid.*  
 Mutia ubi abitent? I. 10. I. 29.  
 Mutius (Q.) ejus de Patritio ignaræ sententia II. 105.

## N

- N** Ativitatis splendor superbiæ fons I. 166.  
 Nestor Piliis imperat II. 139. ejus eloquentia II. 139.  
 Nicocles ab Isocrate institutus II. 151.

Ni-

- Nicolaus V. P. R. ejus liberalitas II. 158.  
 Nobiles præ ceteris ad bonas artes incumbere debent  
 II. 100. mechanicæ artes iis minime conveniunt II.  
 102. quot incommoda patiantur? II. 103. quomodo  
 ignobiles fiant II. 104. cur etiam nostri nobiles lite-  
 ris operam dare debeant? II. 106. quare ad magistra-  
 tus & honores potius quam alii promoveantur? II. *ibid.*  
 Nobilitas, ejus cum optimis artibus necessitudo II. 104.  
 quidnam sit? *ibid.* de ea judicium Platonis *ibid.*  
 Numa Romanis leges præscripsit II. 139.

## O

- O Pinio de suo ingenio studiosæ juventuti omnino  
 vitanda II. 50. quantum noceat? II. 58.  
 Oratio quid? I. 112. ornatus in illa etiam requiritur,  
 ut in aliis rebus & artibus II. 3.  
 Oratoris quodnam officium I. 121. quid ab eo requira-  
 tur? II. 118. virum bonum eum esse oportet *ibid.*  
 & *seq.*  
 Origenes quot libros scripserit? I. 160.  
 Ornatus in oratione requiritur II. 3. & *seq.*  
 Orpheus, interpretatio fabulæ de eo II. 138.  
 Ostiatus (Arn.) ingenii commendatione ad dignitatem  
 pervenit II. 100.  
 Otium, ejus damnum I. 73. quantum noceat? II. 103.  
 nobilitatis vitium II. 103.  
 Ovidii laus I. 29. ejus exilium *ibid.*

## P

- Paganinus (Gaudentius) II. 64.  
 Pagninus (Santes) Leonis X. liberalitatem experi-  
 tur II. 156.  
 Papiniani laus I. 97.  
 Parisiensis academia a quo fundata, & instaurata?  
 I. 197.  
 Parrhasius (Consentinus Janus) a Leone X. magister  
 eloquentiæ constituitur II. 159.  
 Paschalii (Blasii) ingenium præcox I. 151.  
 Patroni quomodo comparandi? I. 35.

Paulinus, vide quid Kappius de eo asserat in præfatione.  
 Pauperes a literarum studio non excludendi II. 101.  
 nec tamen male faciunt, si mechanicæ artibus operam  
 dant II. 102.

Paupertas, ingeniis præclaris noxia I. 28.

Pequetius (Jo.) ductum thoracicum invenit II. 52.

Periander malus poeta I. 185.

Pericles fulmina vibrare dictus I. 121.

Philippus, Macedonum Rex, ejus in literatos benevo-  
 lentia II. 140.

Philosophi, eorum libertas philosophandi unde orta ?

II. 79. iis Plato magistratus & imperia destinavit .

II. 123. quare sæpius a civitatibus fuerint ejecti ?

*ibid.* falsi philosophi *ibid.* quid ab iis requiratur II.

122.

Philosophiæ utilitas I. 55. studium quam amplum ? I.

141. in suo sinu jus civile alere videtur II. 84.

Physicæ studium quam amplum I. 142.

Picæ humanæ vocis imitatrices I. 176.

Pici Mirandulani ingenium præcox I. 151.

Pindarus ejus natales I. 27. ab Jerone Syracusano altus  
 I. 28.

Pii II. P.R. ejus liberalitas & literarum amor II. 158.

Plato a Dionisio Rege quomodo exceptus ? I. 37. ejus-

dem laus I. 38. quos audiverit præceptores I. 157.

ejus dictum de ingeniis I. 181. ejus de Oratore sen-

tentia I. 122. ejus oratio qualis ? I. 124. quomodo phi-

losofiam vocaverit ? II. 122. in scribendo defixus mor-

ritur II. 173. ejus de nobilitate judicium II. 104. e-

logium ejus II. 6. ejus in eloquentiam merita II. 7.

quamdiu studiis operam navaverit ? II. 55. ejus con-

temptus quam stultus ? II. 79. quid de Poetis sentiat

II. 36.

Plauti laudes II. 40.

Plinii (C.) dictum de tempore I. 11. ejus laus Cicero-

nis I. 95. ejus de eloquentia judicium I. 121.

Plutarchi de Artaxerse Longimano sententia I. 194.

Poesis an naturæ tribuenda ? I. 150.

Poetæ an nascantur ? I. 182. quomodo doctrinæ vim

fabulis adumbrarint ? II. 139. quomodo ad elo-

quentiæ dignitatem studium eorum conferat ? II. 35.

*seq.*

- seq. & 39. quanto apud antiquos honore affecti? II. 36. in Italia bonas literas & eloquentiam veteri splendori restituerunt II. 47. ab iis omnis latinæ linguæ elegantia, & eloquentiæ laus in nos derivatur II. 38. eorum versibus maximi oratores utuntur II. 40. magis quam alii delectant & movent, ergo etiam facilius persuadent II. 44. quid de Poetis Plato sentiat II. 36.
- Poeticæ, quanta sit hujus artis cum eloquentia & bonis literis conjunctio? II. 37. ejus dignitas II. 36. seq.
- Polemon a vitiis per doctrinam reducitur II. 143.
- Polemon (Rhemnius) Varronem convitiis infectatur II. 169.
- Politianus (Ang.) ejus de Leone X. sententia II. 9.
- Pompejus (Cn.) quamopere literas amaverit II. 140.
- Pontificium jus, ejus necessitas II. 110.
- Præcepta num multum ad eloquentem hominem efficiendum valeant? II. 15.
- Præceptorum utilitas I. 88.
- Premia utrum alant literas I. 33. quare non hodie ut olim, bonis artibus tanta sint proposita? II. 4.
- Principes liberalitate interdum abutuntur II. 150. cur literis minus dediti literatos tamen colant? II. 89.
- Psitaci humanam vocem redunt I. 176.
- Pythagoras silentio suos probat discipulos II. 77. quantum bonis artibus debuerit? II. 100. qua ratione ingenia exploraverit? I. 187.
- Q**uintilianus necessariam dicit imitationem ad eloquentiam II. 19. ejus de Poetarum usu sententia II. 40. quid ab oratore requirat? II. 118. quid a caussarum patrono postulet? II. 125.
- R**eipublicæ salus quo nitatur I. 62.
- Religio, provinciæ fundamentum I. 62.
- Res, ratio earum non modo habenda, sed verborum etiam II. 6. sine horum studio illarum scientiam fere inutillis evadit II. 11.



1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880  
1881  
1882  
1883  
1884  
1885  
1886  
1887  
1888  
1889  
1890  
1891  
1892  
1893  
1894  
1895  
1896  
1897  
1898  
1899  
1900





